*28. III. 46.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT



K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

*28.M.46

*28. II. 46.

NULLUM JUS

PONTIFICIS MAXIMI

IN REGNO NEAPOLITANO

DISSERTATIO

HISTORICO-JURIDICA

ALITHOPOLI,

Superiorum permissu.

+

Carosita

Καὶ γνώσεσθε τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς.

Et cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.
Johann. cap. VIII. 32.

AUCTOR

Lectori benevolo S.P.

ANimadverti ego quoque, ſed ſerò, quaedam in hoc ſcripto prolixiùs eſſe explicata, quae paucis erant expedienda; quaedam ſtrictim, in quibus erat fortaſſe magis immorandum; quaedam, tametſi ſine cauſſae detrimento, omnino eſſe praetermiſſa. Sed factum infectum fieri non poteſt, in maxima, qua laboratur, temporis anguſtia. Jobannis XI. aetate primam expeditionem Pontificiam in Regnum Neapolitanum contigiſſe ſcripſi; & meritò in dubium quiſpiam revocabit. Sed bella, quae antiquiora occurrunt in hiſtoriis, ſi expendere velimus, inveniemus aut cum Langobardis finitimis de jure finium fuiſſe geſta, aut aliorum potiùs Principum opem Eccleſiae ferentium, quàm Pontificum copiis. Adde quod ad ſummam praeſentis controverſiae nihil faciunt: uti neque Caroli Calvi, & aliorum donationes, Eccleſiae factae, quas fuiſſe à me praetermiſſas opponet aliquis. In locis quibuſdam auctorum, quos citatos invenies, cùm ocium ad fontes ipſos ſemper inſpiciendos non ſuppeteret, ſecutus ſum aliorum probatorum auctorum fidem; exceptis rerum noſtrarum ſcriptoribus, quibus paucis ſed melioris notae uſus ſum. Quod ſi adverſarii ſtimulos hac in re addent, habeo jam materiam non levi amplius myoparoni, ſed magnis fabricandis navigiis idoneam; & ſylvae paſſim occurrunt caeduae. Vale & typographica graviora

ERRATA ſic CORRIGITO

pag.	*lin.*		
15.	*in marg.*	*Sinoſp.*	*Synopſ.*
34.	27.	iſthae	iſthaec
59.	7.	XXXVII.	XXXIII.
60.	ult.	Fiſcum.	Fiſcus.
79.	8.	IL	XLXI.
80.	25.	habenus	habemus.

DIU multumque cogitanti mihi, atque animo revolventi vetus illud ſapientiſſimorum philoſophorum monitum, beatas tunc demum eſſe, ac tranquillas Reſpublicas, cùm ſinguli civium probè intelligunt, ſe patriae natos eſſe, non ſibi; & privata commoda, utilitatemque, niſi Republicâ ſalvâ, & incolumi, diu ſtare, ac conſervari non poſſe; commodùm tandem venit in mentem, quoniam neque per aetatem, neque per anteactae vitae inſtitutionem arma tractare licet, operae pretium me facturum, ſi litterarium aliquod monimentum ederem, quod maximè ad ejus tuendam, excolendamque dignitatem pertinere videretur. Tametſi enim in foro, & in judiciis ita plurimos annos verſatus ſum, ut capita, fortunaſque noſtrorum civium defenderim ſemper, in diſcrimen accuſando adduxerim nunquam; videbam tamen hanc laudem, licet pulcherrimam, cum pluribus mihi eſſe communem, aut ad privatam potiùs ſingulorum utilitatem, quàm ad univerſorum ſalutem aliquid valuiſſe. Quid igitur? Argumentum quaerebam novitate jucundum, amplitudine decorum, quodque in ſe plurimum haberet fructus, & honeſtatis: cùm praeter ſpem à primoribus, graviſſimiſque aliquot viris genus ſcriptionis, ipſo rerum pondere quàm utiliſſimum, honeſtiſſimumque efflagitari audio, adverſus falsò conceptam vulgi opinionem, de Pontificis Romani jure ſummi Imperii in Regno Neapolitano: per occaſionem, quòd qui maximè noſtram tranquillitatem, beatitatemque averſantur,

tur, quotidie in vulgus jactitant, Auguſtiſſimum, potentiſſimumque Carolum III., Hiſpaniarum, & Neapolis Regem, quouſque Inveſtituram Regni, ut loquuntur, à Pontifice non impetraverit, legitimè nobis imperare non poſſe. Quod nefarium, ſeditioſumque impudentiſſimorum hominum effatum, quamquam purum putum venenum eſt, ſive mavis telum, ex hoſtium Auſtriaci nominis pharetra depromtum, ad hanc florentiſſimam Italiae partem funditus evertendam, civilique ſanguine, caedibus, rapinis foediſſimè conſpurcandam; cùm tamen nihil ad fallendos imperitorum animos ſit magis idoneum, quàm ſimulacra quaedam, licet inania, pietatis, & religionis; plurimumque Reip. interſit coecas hujuſcemodi caligines è mentibus civium diſcuti; nihil ſum ultra cunctandum ratus; quin ſtatim calamum arripere, monſtrumque teterrimum ſuiſmet aculeis configere ſtatui: atque ita, pro brevitate temporis, ſedulo, diligenterque rem pertractavi, ut eloquentiam quidem, delectumque verborum deſiderent fortaſſe plurimi, veritatem, candoremque animi nemo. Movit me profectò tantorum virorum auctoritas, ſed magis Patriae charitas, in ipſis medullis inſita, omnique, quam ſperare fortaſſe poteram, gloriolae meritò anteferenda. Serpunt enim primò leniter, mox uſque adeo peſtes opinionum debacchantur, ut, cùm ad extrema deventum eſt, curare admodum ſit periculoſum, flagitium non curare, utrumque certè miſerum, & exitiabile. Verùm mirari ſatis non poſſum, homines quoſdam, ſive potiùs ſtipites hominum, & truncos meros, nedum ita

in animum induxiſſe ſuum, ut credant Neapolitanum Regnum eſſe Eccleſiæ feudum; ſed & Regem noſtrum invictiſſimum adhuc parum legitimo uti imperio, quòd Inveſtiturae confirmationem nondum acceperit: quaſi verò incredibile ſubditorum ſtudium, victorem militem acclamationibus proſequentium, nihil momenti attuliſſet ad imperandum.

Itaque egregiam pro vera Religione, ac pietate operam me navaturum puto, ſi liberè, & ſine fuco demonſtravero: Nullum Jus habere Pontificem Romanum in Regno Neapolitano; ac proinde annui cenſus ſolutionem, Inveſtituram, fidelitatis ſacramentum ad idem jure obtinendum nullo modo eſſe neceſſaria. Qua in re licet non dubitem, multos fore propediem, qui calamo multò elegantiore honeſtiſſimam cauſſam ſint ſuſcepturi; malui tamen, vel infra argumenti dignitatem, aliquid dicere, quàm rationem unquam à me ipſo repoſcere tam intempeſtivi ſilentii.

I. Et primùm quidem inter praecognita hujus diſceptationis illud à nemine negatum iri confido, cùm in aliis Rempublicarum generibus, tum maxime in Monarchia, quam omnium longè excellentiorem, dignioremque ex Naturae, & Dei praecepto, ſapientiores affirmant (*a*) Jus ſummum Imperii, Majeſtatem, dominationem ita eſſe unam, ut dividi, aut communicari aliquâ ratione non poſſit (*b*); nempe Majeſtatem illam, quae dicitur realis, à perſonali diverſa, & eſt totum quid *potentiale*, ut loquuntur Juris publici Scriptores (*c*) Tametſi enim Principes ſumſiſſe ſibi aliquando collegas apud Auctores le-

(a) *Donell. 1. Comment. 7. Barcl. c. Monarchom. lib. 3. cap. 2. P. Greg. De Rep. lib. 6. c. 3. & lib. 2. Synt. 18. Patrit. de Regno, & c. lib. 3. Lipſ. 2. polit., & alii.*

(b) *Cyn. in l. ſi viva 3. C. de bon. matern. Bald. in l. omnes 4. C. de praeſcript. 30. annor.*

(c) *Beſold. Synopſ. Polit. Cap. 1.*

(a) *Tac. 1. Annal.*

gimus (quô ſpectat illud Taciti (*a*) hanc eſſe conditionem imperandi, ut non aliter ratio conſtet, quàm ſi uni reddatur) nihilotamen minus rem penitiùs intuenti facile perſpectum erit, non Jus Imperii tunc fuiſſe duplex, non ſummam Majeſtatem alteram adjectam, non alteram dominationis vim; ſed potiùs ipſius exercitium Majeſtatis (quemadmodum & in Statibus Polyarchicis evenire neceſſe eſt) inter plures fuiſſe communicatum. Fruſtra igitur ſe torquet Arniſaeus (*b*) qui, videns Jura Majeſtatis ab aliis, quàm à Principe ſummo, aut à Senatu ſaepius adminiſtrari, falli putat eos, qui Jus Imperii faciunt individuum: tum quia apertiſſimum eſt, precariò à quopiam geſta cuncta eſſe ad poteſtatem Imperantis referenda; tum etiam quia Jura illa Majeſtatis, & Imperii ab ipſa vi dominationis, ut effectus à cauſſa, ut radii à luce, cogitationes à mente, modi à rebus disjungenda videbantur. (*c*) Neque verò uſpiam invenire licet membrum aliquod Reip., cui ſeorſim extrema provocatio, poteſtas legum condendarum in univerſos cives, belli, paciſque Jus, aliaque ſpectent, peculiaria dominationis ſuperiorem non recognoſcentis. (*d*) Nam quae de Principibus Germaniae traduntur, videndum eſſet, num extorta aliquando fuerint, num Germaniae ſtatus ad Ariſtocratiam accedat (*e*), num poteſtas ſingulorum ſit in ſingulos.

(b) *Arniſ. de Jur. Majeſt. lib. 2. cap. 1.*

(c) *Vid. Beſold. ibid. cap. IV.*

(d) *Clapmar. de Arcan. Rerump. lib. 1.*

(e) *Daniel. Otton. de Jur. publ. cap. 17.*

Itaque, ad rem noſtram quod attinet, niſi unum ſit ſupremum, ſubalternum alterum, ut Beſoldus vocat, (*f*) inter monſtra recenſenda eſſet Reſpublica, quae duplex Imperium, aeque ſummum intra, vel extra idem territorium a-

(f) *Beſold. Synopſ. pol. cap. X. Bornit. De Majeſt. cap. 12.*

gno-

gnoſceret: haud ſecus ac ſi unum idemque corpus duplici animo informaretur. (a) Immo ipſemet Arniſaeus (b) alibi utitur, ad hoc idem probandum, argumento D. Athanaſii (c) *Ut multitudo Deorum nullitas eſt Deorum, ita quoque neceſſe eſt multitudinem Principum id efficere, ut nullus Princeps eſſe videatur*: quoniam cùm ſummum ſit quid indiviſibile, impoſſibile eſt pluribus ſeparatim tribui, niſi in utroque ſummi natura deſideretur.

(a) *Purpurat. in l. 1. de officio ejus cui mandat.*

(b) *De Jur. Majeſt. lib. 1. cap. 3.*

(c) *Athan. Orat. adv. Idol.*

Jam verò Neapolitanos Reges jura univerſa Regalia adminiſtrare; belli, paciſque arbitros eſſe; condendarum legum, abrogandarumque habere poteſtatem, apertius eſt, quàm ut probationibus, aut conjecturis ſit demonſtrandum. Quinimmo, quod fortius eſt, ligios habent vaſſallos: (d) firmiſſimum argumentum poteſtatis ſuperiorem non recognoſcentis: (e) Qua quidem poteſtate, non à quopiam precario acceptâ, ſed ſubditorum voluntate, longè latèque in Regno, majorum virtute & armis parto, dominantur. Jus igitur ſummum dominationis ad Romanum Pontificem pertinere qui aſſerunt, ſive, ut ajunt, dominium directum, tantum à vero abſunt, quantum qui ligium hominem, alios ſub ſe ligios habere poſſe in animum inducunt ſuum. Quod cùm animadverteret Baldus, nec quomodo ſe extricaret inveniret, monſtrum illud in jure commentus eſt: *Singularia feuda, quae ſunt in Regno Siciliae, ſunt de directo dominio Regis, licet ipſa major Univerſitas, ideſt totum Regnum, ſit feudale Eccleſiae.* (f)

(d) *Pontan. lib. 2. de Bell. Neap. aſſert jurisjurandi formulam Vrſi Vrſini Com. Nolae.*

(e) *Duaren. ad Conſuet. feud. cap. 4.*

(f) *Bald. in l. 1. C. unde Cognati.*

II. Neminem etiam inficias iturum puto, *Jus Imperii eſſe poteſtatem abſolutam, ſive extremum Jus*

eo-

eorum, quae ad Majeſtatem Regni, & Reip. pertinent, vel belli titulo, vel ſubditorum patientiâ acquiſitum, teſte Clapmario; (*a*) ſive, ut alii fortaſſe meliùs, *ſubditorum* voluntate *liberâ*, vel *coactâ* (*b*); & liberâ item vel *tacitâ*, vel *expreſsâ*: quod Plato *ſecundum genus*, dixit, & *ſecundum legem*. Etenim ſi Regnum eſt hereditarium, tacita, ſi electivum expreſſa erit ſubditorum voluntas. Quam verò Clapmarius vocat *patientiam*, meo quidem judicio, ad tyrranidem potiùs, quàm ad legitimam dominationem eſt referenda.

(a) *Clapmar. lib. 1. cap 11.*

(b) *Hippolyt. à Collib. in Principe cap. 2.*

Hinc claret ſecundum triplicem, quam meminimus, ſubditorum voluntatem, coactam, liberam-tacitam, liberam-expreſſam, Jus dominationis acquiri; nempe Jure belli, (*c*) ſucceſſione, electione: quae omnia longiùs proſequi non eſt praeſentis inſtituti.

(c) *L. naturale, § fin. C. de acquir. rer. Dom.*

III. Nunc ita licet ratiocinari. Si Rom. Pontifex neque juſto bello, neque electione, neque ſucceſſione Jus ſummum dominationis in Regno Neapolitano nactus eſt; jam ergo, qui ſupremum Dominium ad eundem pertinere contendunt, pro fatuis, nedum ridiculis haberi neceſſe eſt. Vnde ſapienter admodum de univerſa Eccleſiae ditione ſcripſit Jovianus Pontanus (*d*): Difficile explicatu eſſe, quomodo *Pontifices Max. tantum ſibi Imperium comparaverint.*

(d) *Pontan. De bello Neap. lib. 1.*

(e) *Grot. De Jur. bell. lib. 1. cap. 111. n. IV. Sam. Puffendorf. de Jur. nat. & gent. lib. 8. c. 6. l. 3. D. ad leg. Jul. Majeſt. Beſold. Synopſ. Polit. cap. XII. Cic. Phil. IV.*

IV. Juſtum ſanè bellum intelligo, quod ab eo geritur, qui ſummam poteſtatem habet in Civitate, vel cui ipſe fecerit poteſtatem (*e*), pro Religione, pro ſalute ſubditorum, & injuriae propulſandae cauſsâ. (*f*) Et tum Divino, (*g*) & gentium Jure res hoſtium in dominium capientium tranſire, cùm Platonis (*b*) tum reliquorum

(f) *Cic. 1. de Rep.*

(g) *Deut. XX. 14.*

(h) *Plato. de legibus. Xenoph. Inſt. Cyr. Ariſtot. 1. polit. & alii apud Grot. de Jur. bell. lib. 3. cap. 6. n. 2.*

Sa-

Sapientum, & Juriſconſultorum vetus, & veriſſima eſt ſententia. (a)

(a) *L. naturale, §. ult. D. de acquir. rer. dom. § Item ea, quae ex hoſtib. Inſt. de rer. diviſ. l. ex hoc jur. D. De juſt. & jur. C. dicat 23. qu. 5. cap. ſi qua de reb. qu. 7. Ariſtot. 1. de Rep. cap. 8.*

V. Illud in praeſentiarum excutere praetermitto, num Pontifex *juſtum* Neapolitanis bellum inferre potuit, qui ſummam poteſtatem in Civitate Romana vix obtinebat, aut ſaltem precariam; quique à Caeſare ſui Pontificatus inſignia recognoſcebat; & quidem nullâ à noſtris injuriâ laceſſitus, quam armis vindicare neceſſum foret. Aperta enim ſunt verba Sigonii, luculentiſſimi, & fide digni ſcriptoris. (b) *Et ſanè*, inquit, *quamquam Italia à Rege, eodemque Imperatore, & Romano Pontifice tenebatur; non eadem tamen in utroque auctoritas. Pontifex Romam, Ravennamque, & ditiones reliquas tenebat auctoritate magis, quàm imperio; quòd Civitates Pontificem, ut Reipubl. Principem, Regem verò, ut ſummum Dominum intuerentur, atque ei tributa, obſequiaque, quae dixi, praeberent. Et Pontificis vires in ſacris deteſtationibus verſabantur, quas Chriſtiani Reges tum maximè exhorruerunt; Imperatoris in armis, & expeditionibus, quibus ipſi etiam Pontifices cedere ſaepe compulſi ſunt, & c.* Nempe antiquis Germaniae Regibus quodammodo ſimiles erant, quos praefuiſſe Tacitus ait *auctoritate ſuadendi, non poteſtate jubendi*. (c) Non igitur ſummum Imperium in Italia apud Pontificem: non juſta cauſſa quempiam Italorum invadendi: unde conſequitur nec juſtum bellum indicere potuiſſe. Haec quantum ad Jus, quod potentiores perſaepe negligunt: verùm ad res geſtas quod attinet, nunquam ante Johannis XI. tempora, quae incidunt in ſaeculum X. (d) legimus, pontificias copias intra Regni fines apparuiſſe; ac ne quidem cùm Barbari

(b) *Sigon. de Regn. Ital. lib. 7. in Othone Magno.*

(c) *Tacit. lib. 15. Grot. lib. 1. c. 3. n. X.*

(d) *Platin. in Jo. XI.*

hanc

hanc nobiliſſimam Italiae partem caedibus, igne, rapinis longè latèque vaſtabant. Quî enim poterant aliorum ulciſci contumelias, qui Langobardorum, in ipſo Latio graſſantium, furorem precibus, epiſtolis, vittatiſque ſacerdotibus obviam miſſis (a) compeſcere cogebantur; immo ſaepiſſime inanem ludebant operam? Qui, advocatis Franco-Gallis, Romam ipſam, ſedem & domicilium Religionis, è Barbarorum manibus non ſemel reciperarunt? Neſciebat tunc Chriſtiana Reſp. magnum illud ambitionis arcanum, poſſe ſummum ſacrorum Antiſtitem de proferendo, aut de conſervando Imperio, armis & ſanguine decertare, quod beneficii loco à Caeſaribus obtinebat.

(a) *Collen. Hiſt. ad ann. Chr. DCC. Sigon. de Regn. Ital. & c.*

Itaque primus omnium Johannes, qui, teſte Platina, *ſpiritus militares magis, quàm Religioni deditos* geſſit, adjuncto ſibi Alberico, Hetruriae Marchione, poſtquam Saracenos finibus Romanis arcuiſſet, ad Lyrim amnem perſecutus, acerrimo commiſſo prælio, tantam eorum ſtragem edidit, uti ſuperſtites in Garganum montem ad reficiendas vires ſeceſſerint, frequentibus inde excurſionibus circumjecta loca populaturi. Quâ partâ victoriâ Johannes, cùm omnem rei geſtae gloriam, utilitatemque ad ſe traheret; Albericum adeò concitavit, uti Hunnos, Saracenis ipſis truciores, in Italiam pellicere non ſit veritus. Illud tamen certo certius eſt, Pontificem, propria ſervaſſe contentum, nihil tunc, vel per ſpeciem Religionis aſſertae, de Regno cogitaſſe; quod nec armis tueri poſſet, nec jure Graecis, aut Principibus Langobardis eripere.

VI. Secunda expeditio accidit ſub Leone IX. circa

circa ann. Chriſti MLIII. Is, cùm comperiſſet, Giſulfum Nortmannum, qui Guaimaro fratri in Principatu Salernitano ſucceſſerat, Beneventum, Eccleſiae urbem, obſeſſurum; coacto Italicae juventutis robore, adjunctiſque ſibi auxiliaribus copiis Henrici II. Caeſaris, rectà in Marrucinos contendit, quà iter erat in Samnium. Contra Giſulfus, occupato praeter expectationem Benevento, ut erat militaris ſcientiae, naturaeque loci apprime gnarus, in planitie prope Theate Pontificem opperiri ſtatuit: ubi advenientem eâ virtute, ac fortitudine Nortmanni excepere, ut, poſt ingentem utrinque editam cladem, vivus Leo in eorum poteſtatem perveniret; (a) Romamque honorificè reſtitutus, de Benevento vindicando omnem ſpem, omnemque cogitationem abjiceret.

(a) *Collen. comp. hiſt. lib. 3. Ricc. de Reg. Sicil. lib. 1.*

Quid juris hoc bello victus Leo, vel in aliquam Regni partem, Eccleſiae acquiſiverit, ego planè non video; immo Beneventanam ditionem jure belli Nortmannis acceſſiſſe hinc evidenter apparet, quòd anno MLXXX., Sedem obtinente Gregorio VII., ad eundem Giſulfum pertinebat; quem Robertus, cognomento Guiſcardus, Salerno, & libertate non ita pridem ſpoliaverat; (b) tametſi ſunt, qui aſſerant Nicolao II. Beneventum, & Trojam à Roberto reſtitutam.

(b) *Collenuc. lib. 3.*

VII. Tertia expeditio ſub Alexandro II. fuit, Imperium Conſtantinopolitanum obtinente Romano Diogene. Robertus enim Guiſcardus, poſt multas Graecis in Apulia, & Calabria vi ereptas urbes, quamquam ligium ſe hominem Eccleſiae dixiſſet, ejuſdem tamen res contrectare unà cum fratre Riccardo, Capuanorum Principe,

non eſt veritus : tantum aberat, ut verè Pontificis imperio crederet ſe ſubjeciſſe. Miſſus igitur in Apuliam Hildebrandus Cardinalis (poſtea Gregorius VII.) qui, Mathildis milite in primis uſus, eò rem deduxit, ut Nortmanni quae *de Eccleſia ceperant reſtituerent* (a). Ita nempe ſcribit Platina : ſed Collenucius, auctor haud indiligens, provinciam pro Eccleſia ſuſcepiſſe narrat Ducem Spoletinum, & Gotfridum Mathildis conjugem: nec quidem in Apuliam profectos eſſe, ſed finibus excedere Nortmannos coëgiſſe (b); habetque adſtipulatorem Sigonium. (c) Vtcumque tamen ſe habeat veritas, inter pontificias expeditiones enumerare non piguit : in qua nec quidem veſtigium invenio ſummae poteſtatis, in Regno vi armorum partae: nam quod ſpectat ad voluntariam Roberti ſubjectionem, abundè ſuo loco explicabimus.

(a) *Platin. in Alex. II.*

(b) *Collen. ibid.*

(c) *Sigon. de Regn. Ital. lib. 9. ad ann. 1065.*

Gregorius quoque VII., Pontificatum Maximum adeptus, poſtquam Henricum III. Imperio exciſum pronunciaſſet, exercitum in Robertum, & Riccardum paraverat : ſed, cùm maximè ab Henrico premeretur, & Robertus Beneventum, Riccardus Neapolim obſediſſent; maluit diris, execrationibuſque eoſdem inceſſere in Concilio Romano VIII., quàm de reciperandis Piceni civitatibus bello experiri. Scribit Sigonius (d), iratum in Nortmannos Gregorium propter Salernum captum : ſed cùm nihil ad Pontificem ea res pertineret, credendum eſt potiùs aliis fide dignis Auctoribus (e) *Is inauguratus* (de Gregorio inquit Riccius) *habito Lateranenſi Concilio, Viſcardum, Nortmannoſque diris per omnium ſacerdotum Religiones execratus eſt, per cauſam, quòd ii,*

(d) *Sigon. De R. Ital. lib. 9.*

(e) *Collenuc. lib. 3. Ricc. de Reg. Sicil. lib. 1.*

quae

quae juris erant Eccleſiae contrectarent in agro Piceno, quam Marchiam nunc Anconitanam vocant, oppidaque nonnulla firmata praeſidiis obtinerent. Haec igitur belli cauſſa, non obſidio Beneventana, aut Neapolitana. Tandem ex compacto in gratiam reverſum eſt: Robertuſque Eccleſiaſticâ deteſtatione ſolutus eâ lege, ut & Picenum praeſidiis liberaret, & Michaëlem Ducam, à Nicephoro Botoniate ejectum, in Imperio Conſtantinopolitano reſtitueret.

VIII. Quarta expeditio circa ann. MCXXX. ab Innocentio II. ſuſcepta eſt (ſequimur hic fidem Platinae, (a) & Collenucii potiùs, quàm Sigonii) adversùs Rogerium III. Siciliae Comitem; ſive quòd Apuliam, Calabriam, omnemque in Italia ditionem Guilielmo, Rogerii II. filio, per ſummam injuriam eripuiſſet (dum is ad Alexii Comneni filiam ducendam irritâ navigatione Conſtantinopolim profectus eſſet) ſive quòd Regem Italiae, nullâ Pontificis auctoritate nixus, palam ultroque ſe jactitaret, Regiumque diadema Panormi ſuperiore anno ſumſiſſet. (b) Primo igitur impetu Innocentius Rogerium praelio ſuperat apud oppidum Divi Germani, ad radices Caſini montis; mox in Gallucii arce latitantem arctiſſimâ obſidione premit: nec longè ſpes aberat, fore ut propediem eſſet in ejus poteſtatem perventurus, cùm Guilielmum Calabriae Ducem, praeter omnium expectationem, patri ſubſidio adventare nunciatur. Anceps diu pugna: Innocentius tandem captus, caſtraque militibus in praedam data. (c) Sed Rogerius parce, continenterque utendum victoriâ ratus, Pontificem, eximiè habitum, quòcumque is de-

(a) *Platin. in Innoc. XI. Collenuc. ibid. Sigon. lib. XI.*

(b) *Fazzell. Hiſt. Sicul. Thom. Coſt. in adnot. ad Collenuc. lib. 3.*

(c) *Platin. in Innoc. II. Ricc. loc. citato, Collenuc. Tarcagnota.*

mum vellet, ire permiſit; preciumque libertatis omnia praeter Regium titulum accipere viſus eſt, quae virtuti, ac fortitudini ſuorum militum accepta ferenda erant.

Sunt qui ſcribant, Neapolim, tunc primùm per Pontificem ab Imperio Graecorum avulſam, victori fuiſſe conceſſam; qui maximâ civium gratulatione exceptus, atque per biennii fere ſpatium in urbe commoratus, uſque ad centum quinquaginta ex primoribus militari cingulo inſignivit. Verùm nemo ſanae mentis id in animum inducet ſuum, ut credat, Pontificem Max. quidpiam de aliena ditione aut voluiſſe, aut potuiſſe ſubtrahere: quin potiùs vero admodum ſimile eſt, cives ipſos, Graecae dominationis, & bellorum pertaeſos, ultro Rogerio, potentiſſimo tunc Principi, ſe ſubjeciſſe.

Dum haec agerentur, Petrus, Petri Leonis filius, Romae à factioſis clericis ſub Anacleti nomine in Pontificem ſalutatus, eò Innocentium adegit, ut, Piſanorum conſcensâ claſſe, in Galliam aufugeret. Qua re compertâ Rogerius, ut erat Regiae dignitatis cupidus, maluit ab Anacleto accipere, (a) quàm aut jure uti ſuo, aut diutius apud imperitum vulgus carere. Secuta ſcelus poena. Nam, vix triennio exacto, Lotharius Caeſar Innocentium in Italiam reduxit; Rogerium ad fretum uſq; Siculum universâ ditione ſpoliavit; eamq; habito conventu ad Aquinum vetus, Reginulfo Comiti, ſive Rainoni, ſub Ducis nomine conceſſit (b) Qua in re illud maxime fuit obſervandum, quod Sigonius perhibet, nempe, cùm orta eſſet inter Pontificem, & Caeſarem de *Jure*, quod vocant *Inveſtiturae*, conten-

(a) *Villan. Neap. Chron. lib. 1. c. 62. Diacon. lib. 4. hiſtor.*

(b) *Tarcag. de laud. & ſitu Neap. Sigon. lib. XI.*

tentio; (a) placuit tandem unà utrumque Raïnoni per vexillum tradere: factum utique à Platina, & Collenucio pro fide hiſtoriae minimè prætereundum; tametſi non deſunt, qui à ſolo Imp. traditum narrant. (b) Pacatiores deinde gerentibus animos Innocentii ſucceſſoribus Coeleſtino II. & Lucio II., pronum atque expeditum fuit Rogerio amiſſum imprudentiâ Regnum, quà bellicâ virtute, quà incolarum voluntariâ deditione, in poteſtatem redigere; & Regii tituli confirmationem à Coeleſtino, ſive, ut alii malunt, à Lucio ſolemni ritu obtinere. Pro ſubdito ſe geſſiſſe Rogerium apertum eſt; ſed quâ ratione Pontifex tantum ſibi tribuerit, haud facilè dijudicari poteſt; nam ex antedictis arma non tanti fuiſſe manifeſtum eſt.

(a) *Franc. Capicius-Iatr. Hiſt. Neap. lib. 1.*

(b) *Diacon. lib. 4. Blon. Hiſt. Sicul.*

IX. Quincta expeditio, circa ann. Chr. MCLV., (c) auctorem habuit Hadrianum IV. Etenim Guilielmus Rex, cognomento malus, complurium oppidorum, quae ditionis erant Eccleſiaſticae in Marrucinis, per vim potitus, diriſque ideo devotus, Pontificem parvi habere, ſacraſque execrationes pro nihilo ducere videbatur. Accedebat illud maximi momenti, Regni quoſdam proceres, aegrè impotentem Guilielmi dominationem ferentes, ultro Romam miſiſſe, qui ſe, & univerſum Regnum in Eccleſiae poteſtatem fore pollicerentur, modò Hadrianus cum milite adeſſet. Is itaque haud negligendam eſſe occaſionem ratus, adſcito in ſocietatem foederis Manuële Comneno, qui in Apuliam ſtatim miſit exercitum; per Divi Germani oppidum rectà Beneventum petiit: ibique à plurimis conventus eſt, qui non unius civitatis nomine in

(c) *Ut Coſtus conjicit adverſus Collenuc. lib. 4.*

ejus

ejus verba juravere. Guilielmus, poſtquam videt nihil verbis, aut precibus ſe poſſe proficere, in Apuliam exercitum ducit; Graecoſque apud Brunduſium adortus, ſecundo praelio profligavit (*a*). Ut primùm proſperè rei geſtae rumor pervulgatus eſt, maxima pars eorum, qui Pontifici adhaeſerant, veniam à Rege deprecati, facilè pro conditione temporum impetrârunt: Hadrianus verò, homo in primis callidus, *pacis conditiones, quas antea reſpuerat* (verba ſunt Riccii) *ultro obtulit*; & Guilielmum, ſacris deteſtationibus jam liberatum, in Regno confirmavit.

(a) *Collen. loc. cit. Platin. in Hadrian. IV. Ricc. lib. 1. de Reg. Sicil.*

Erunt fortaſſe, qui ad liberalitatem, auctoritatemque Pontificis referant, quod revera fructus victoriae fuit. Sed nemo eſt, meo quidem judicio, qui neſciat, ejus demum eſſe velle, qui poſſit nolle. Hadrianus profectò non ab univerſis Regni incolis, ſed à paucis factioſis hominibus ad Regnum capeſſendum invitatus, non adeò amens erat, ut poteſtatem ſummam hoc nomine ſibi vindicaret: &, ſi quae oppida in ejus verba juraverant, videbat, poſt Regis victoriam, certatim à fide diſcedere, & quotidie diſceſſura, niſi vim expectare mallent. Immo in ipſa urbe Beneventana idem Hadrianus obſeſſus fuerat, ut alii tradunt (*b*). Acquievit igitur, atque ita rem tractavit, ut quae Guilielmus, vel ipſo invito, quamprimum erat habiturus, ab Eccleſia Romana accepiſſe videretur. Immo concedamus ultro, non à paucis factioſis, cujus nulla in bene conſtituta Republica aut eſt, aut eſſe debet de ſumma rerum auctoritas, ſed Ordinum conſenſu accitum, ſe ſuaque omnia

(b) *Franc. Capicius-latro Hiſt. Neap. lib. 2. ex Archiep. Tyrio.*

Ec-

Ecclesiae tradentium; an idcirco summam dominationem statim delatam pronunciabimus? Minimè quidem gentium. Etenim illud apertissimum est, subditos sacramento solutos esse oportere, nec quidem temerè à Papa, sed vel Principis electi morte (in Regnis quae per electionem traduntur) vel legitimorum heredum inopiâ (a); atque adeo in pristina naturali libertate esse constitutos, ut Regnum alteri deferre valeant. Quod enim pro salute & incolumitate civium jure gentium introductum est, incivile admodum videtur in eorumdem perniciem immutare: quemadmodum evenire necesse est, ubi, datâ Regum abrogandorum *licentiâ*, *posteriores confusiones prioribus oppressionibus sunt pejores*, ut argutè loquitur Besoldus (b); & quilibet Rex, sive bonus, sive malus, temerariis subditorum ausis exponitur (c). Et haec sane pertinent ad Regnum successivum, aut electivum, solâ subditorum voluntate, personae, vel familiae delatum. Quanto fortiùs eadem obtinere necessum est, ubi illud armis fuerit à majoribus partum? quemadmodum Regnum Neapolitanum à Nortmannis Guilielmi majoribus, & decessoribus.

(a) *Grot. lib. 1. de jur. bell. & pac. cap. 3. §. 7. & lib. 2. cap. 9. §. 1. & 8. Pufendorf. lib. 7. cap. 7. praecipuè §. 3. 7. & 9. Barcl. adv. Monarch. lib. 3. cap. 3. & 4.*

(b) *Besold. Sinopf. polit. cap. ult. Lehman 5. cap. 6.*

(c) *Grot. lib. 1. cap. 3. num. 8.*

X. Adhaec pernicioſam plane puto sententiam asserentium, posse subditos malis artibus, nempe perduellione, tantum bonum sibi acquirere, quantū est naturalis libertas, cujus jure alteri legitimè se subjiciant. Verissimum idcirco illud Puffendorfii existimo (d), dicentis: *Ubi injustis de causis rebellatum fuerit, libertas illegitima manet, quandiu antiquus Dominus bello ad obsequium rebelles reducere laboravit, aut saltem*

(d) *Puffend. ib. §. 5.*

tem proteſtationibus jus ſuum in eoſdem ſalvum conſervavit; donec ex diuturno ſilentio colligatur antiquum Dominum jus ſuum habere pro derelicto. Guilielmus verò tantum aberat, ut Regnum haberet pro derelicto, ut potiùs omni ope, atque operâ ab hoſtibus vindicare niteretur.

Aſt inquiunt, juſtas fuiſſe defectionis cauſſas. Quas demum? Avaritiam, libidinem, crudelitatem, ſuperbiam. Itane? Quorſum ergo ſpectant aurea illa M. Aurelii Antonini verba (*a*): *Nemo niſi ſolus Deus Judex Principis eſſe poteſt*? quorſum vulgatiſſima illa Horatii (*b*):

Reges in ipſos imperium eſt Jovis?

Quorſum Salluſtii: *Impune quidvis facere, id eſt Regem eſſe*? & Taciti: *Principi ſummum rerum arbitrium Dii dederunt, ſubditis obſequii gloria relicta eſt*; qui alibi: *Bonos Imperatores voto expetendos, qualeſcunque tolerandos* (*c*)? & Vittigis Regis apud Caſſiodorum: *Cauſa Regiae poteſtatis ſupernis eſt applicanda judiciis, quandoquidem illa è coelo petita eſt, & ſoli coelo debet innocentiam.*

Sed quid Antoninum, Tacitum, aut Salluſtium nomino? cùm luculentiſſima, & quidem innumera occurrant in Divinis ſcripturis nedum teſtimonia, & exempla poteſtatis Regiae (*d*), ſed & ſubditorum erga Principes obedientiae praecepta? (*e*)

David, à Deo Sauli ſubſtitutus, ab ejus caede abſtinuit, & ne quidem diademate privare eſt auſus (*f*) *Propitius* (inquit ad ſocios, qui ad Saulis necem hortabantur) *ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt. Et confregit David viros ſuos ſermonibus, & non per-*

(a) *M. Antonin. lib. 4.*

(b) *Horat. Ep. XIV. Grot. lib. 1. cap. 3. §. VIII.*

(c) *Tacit. annal. 16. Hiſt. 2.*

(d) *1. Samuel. 8. 8. 11. 1. Regum 2. 20. Deuter. 17. 14.*

(e) *Exod. 22. 28. 1. 17 Samuel. 22. 17. Daniel. 3. 18. & 6. 10. 11. 1. Macc. 2. 19. & 2. Macc. 7. 2. Actor. 4. 18. Deuter. 22. 28. Paul. ad Rom. 13.*

(f) *1. Samuel. 15. 1. Samuel. 24. 7. 22. 9. Optat. Milevit. lib. 2. adv. Parmen.*

permiſit eos, ut conſurgerent in Saul. Sequutus profecto Samuelis exemplum, qui, tametſi perversè regnantem, debitâ ſemper eſt veneratione proſecutus (*a*). Ideoque Amalekitam David interfici juſſit, à quo idem Saul necatus eſt (*b*). Sic quoque Achab, aliique non ſtatim ob tyrannidem Regno ejecti ſunt (*c*), ſed divinae ultioni relicti. Magiſtratibus obtemperare praecipimur (*d*) etiam nefariis, ut ex toto Jeremiae cap. XXVII., ubi Nabuchdonoſori parendum eſſe, inquit Dominus; & Divi Petri epiſtolâ (*e*) qui inquit: *Regem honorificate. Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis*; ut & Pauli ad Romanos (*f*): *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*: ubi Auguſtinus: *Neceſſe eſt propter hanc vitam nos ſubditos eſſe oportere, non reſiſtentes, ſi quid illi auferre voluerint.* Et ad Titum: *Admone illos, Principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire.* Ita & in Conſtitutionibus Clementis legitur: *Servus Deum timens ſimul bene Domino ſuo velit, quamvis impio, quamvis injuſto.* Et veteres quidem Chriſtiani, apoſtolico ſpiritu ducti, & Pauli conſilium ſecuti (*g*), Principibus malefacientibus, & naſcentem Eccleſiam perſequentibus nequaquam reſiſtebant (*h*); ſed pro illis orabant, nuſpiam contra ſtatum Reipublicae cum factioſis hominibus conjurantes. Cogitabant enim, ſaepiſſime in peccatorum noſtrorum poenam malos Principes à Deo Opt. Max. cervicibus noſtris imponi, (*i*) quorum ultionem ipſe ſibi ſolus reſervavit. Plura ad hanc rem argumenta apud doctiſſimum Grotium (*k*), alioſque auctores facile eſt reperire; neque nos in re tam aperta diutius immorabimur.

(a) *1. Samuel. XV. 30.*

(b) *2. Samuel. 1. 15.*

(c) *2. Reg. 10. 42.*

(d) *Matth. 17. 27. 23. 3. Luc. 20. 25.*

(e) *1. Petr. 12.*

(f) *Paul. ad Rom. 13.*

(g) *Paul. 1. ad Timot. 2. 2.*

(h) *Vide Tertull. in Apologetico, ibique Heraldi notas; & ad Scapulam.*

(i) *1. Reg. 12. 24. Job. 34. 40. Prov. 28. 2. Ezech. 14. 9. Oſeae 13. 11. & 2. ad Teſſalon. 2. 11.*

(k) *Grot. lib. I. ca. IV. Barcl. contra Monarchom. lib. II. & III. & alii paſſim.*

Liquet igitur Neapolitanorum à Guilielmo defectionem nihil juris Hadriano IV., & Eccleſiae Romanae addidiſſe, vel ſi concederemus Regem universâ tunc ditione ſpoliatum, & tranſactionem Beneventanam minimè interceſſiſſe; cujus ſumma fuit, ut ea, quae fuerant Eccleſiae reſtituerentur; Guilielmus verò, deteſtationibus liber, acciperet à Pontifice Regni confirmationem: quanto minus paucorum perduellium operam, & irrita Romanorum arma de ſumma poteſtate quicquam detrahere potuerunt.

XI. Guilielmo III. optimo Principe è vivis ſublato, ann. Chr. MCLXXXIX. (a), & Regiâ legitimâ Nortmannorum ſtirpe deficiente, Clemens III. Pont. Max. Regnum ad Eccleſiam reverſum eſſe arbitratus (b), militem ad idem recipiendum ſtatim mittit; ſed fruſtra. Proceres enim, habito apud Panormum conventu, Tancredum ſibi praefecere, Rogerio IV. ex pellice natum (c): ſive quòd recentia adhuc Guilielmi, & Gentis Nortmannae merita eorum oculis obverſarentur; ſive quòd infra dignitatem ducerent Pontifici Romano ſubeſſe, quem Principem *naturalem* (ut inquit Collenucius (d)) minimè exiſtimabant.

(a) *Fazzel. hiſt. Sicul. apud Coſtum in Animadverſ. ad Collen. lib. 3.*

(b) *Platin. in Clem. III.*

(c) *Ric. de Reg. Sicil. lib. 1.*

(d) *Collen. cit. lib. 3.*

Tancredus itaque, optimo legitimoque jure imperium adeptus (nempe cùm *interregnum* naturalem ſubditis libertatem eligendi reddiderat (e)) conſortem ſibi adſcivit Rogerium filium, quò pluribus munimentis inſiſteret; Clementiſque conatus non ſubſtinuit modò, ſed retudit: ita ut ille omittendi tam ancipitis belli conſilium inierit, *donec Chriſtiani* (ita nempe pietatis nomine colorabat impotentiam nocendi)

(e) *Puffend. & Grat. loc. cit.*

con-

contra Saracenos in Asia belligerantes meliorem fortunam nanciscerentur (a). Sed Coelestinus III. successor, non ultra dissimulandum ratus, parumq; rapinas, incendia, sanguinem nostrorum pensi habens, Henricum VI. Caesarem, Friderici Aenobarbi filium, è Germania evocavit, ad inferendas ne Italis, an ad ulciscendas Ecclesiae injurias; cui Constantiam, Rogerii filiam, jamdiu Deo dicatam, in matrimonium tradidit: atque eâ lege Neapolis, & Siciliae Regium titulum largitus est, an. Dom. MCXCI., ut Henricus loca Pontificia praesidiis liberaret, utrumq; verò Regnum proprio marte, pecuniâque adipisceretur *(b)*.

(a) *Platin. in Clem. III.*

(b) *Collen. lib. 3.*

Quae inde secuta sunt apud Historicos sunt obvia. Sed quantum ad belli jus, de quo agimus, nihil eo nomine profeciisse Pontificem manifestum est. Siquidem Clemens, quamquam invitus, ab incepto destitit; & Tancredus liberâ subditorum voluntate regnavit: Coelestinus verò apud imperitum tantummodo vulgus Henricum infamiâ liberavit, quòd Nortmannorum reliquias avitâ ditione dejiceret; factâ scilicet invadendi potestate, quam jure gentium habebat nullam.

XII. Neque magis proficui Gregorii IX. conatus adversus Fridericum II. Imperatorem, quem post Honorium III. ipse quoque diris devoverat, ann. MCCXXXVIII. Is enim è Germania cum instructissimo exercitu reversus, ann. MCCXL., nedum Venetos, Gregorii foederatos, ex maritimis Apuliae dejecit; sed & Faventiam, aliasque Galliae Cisalpinae urbes, quae Pontifici parebant, facere imperata coëgit *(c)*.

(c) *Collenuc. lib. 4. Angel. Costant. lib. 1.*

XIII. Post excessum Gregorii IX. & Coele-

ſtini IV., Innocentius IV. Pont. Max. inauguratus eſt, Svevicae domui imprimis infenſus: qui poſt obitum Conradi, cùm Conradini impuberis nomine Germani Duces, unà cum Manfrido, Friderici II. ex nobili concubina filio (a) Regnum adminiſtrarent; *contractis tumultuariè copiis, quibus Neapolitanos quoſdam praefecit equites* (ut Riccius memoriae prodidit (b)) *Neapolim venit*, urbem ipſam, & Regnum univerſum Eccleſiae vindicaturus. Summâ, fateor, omnium conſenſione, & alacritate exceptus eſt; magis odio Gentis Svevicae, à qua nulla non mala cives noſtri perpeſſi fuerant, quàm quòd Pontificiam dominationem avidi concupiſcerent (c). Sed Innocentius ad res componendas habito ordinum conventu, inſtauratiſque moenibus, quae Conradi ſaevitia disjecerat, vitâ ceſſit anno MCCLIV. Suffectus in ejus locum Alexander IV. Manfridum, qui, ſparſis de Conradini morte rumoribus, ſolemni ritu Panormi diadema ſumſerat, diris devovit; deinde Anagniam conceſſit, Octaviumque Cardinalem Ubaldinum Neapolim miſit, qui Neapolitanos, & Campanos adverſus Manfridum in fide retineret (d). Sed nihil his rebus motus Manfridus, Pontificio milite partim caeſo partim capto, Regno univerſo potitur, an. MCCLXI.; & Alexander moerore confectus diem ſuum clauſit (e). Nec Urbano IV. ſucceſſori tantum virium fuit, ut Manfridum in ordinem redigeret: quin Carolo Andegavenſi, Provinciae Comiti, Divi Ludovici Galliarum Regis fratri, ea cura demandata eſt: ampliſſimis Regnis utriuſque, ut vocant, Siciliae in praemium propoſitis, ejuſdem ſumtibus,

(a) *Platin. in Innoc. IV.*

(b) *Ricc. de Reg. Sicil. lib. 2.*

(c) *Conſtant. lib. 2.*

(d) *Platin. in Alex. IV.*

(e) *Collen. lib. 4.*

& pe-

& periculo ſubigendis. Quod, ex voto quanquam ſucceſſit, jure unquam factum eſſe nemo affirmabit. Etenim ſi res ad *Interregnum* redierat, ob Conradini mortem abſque legitimis heredibus; quis non videt ad Ordines Regni poteſtatem Regis eligendi recidiſſe; aut ſaltem eorumdem liberâ, vel coactâ voluntate, poſt partam apud Beneventum de Manfrido victoriam, legitimè regnaſſe; non autem auctoritate Pontificis, qui honeſtam tantummodo Regni invadendi cauſſam apud imperitos rerum aeſtimatores videri poterat praebuiſſe. Aſt cùm, detectâ fraude, Conradinum adhuc in Germania vivere compertum eſſet; licet concedamus Regnum ad Eccleſiam Romanam pertinere, injuſtam nihilominus liquet fuiſſe Innocentii IV. invaſionem, injuſtiſſimamque Andegavenſi ab Vrbano IV. factam conceſſionem: tum quia execrationes in Manfridum pronunciatae afficere Conradinum non poterant; tum quia, extantibus legitimis vaſſalli heredibus, feudum ad Dominum directum, ut *feudiſtae* loquuntur, nequit dici apertum aut devolutum (*a*), niſi gravis culpa intercedat (*b*); aut pro heredibus & ſucceſſoribus minimè fuerit conceſſum; adeoque ſine vaſſalli voluntate in alium transferri ſumma injuſtitia eſt (*c*). Ad conſenſum verò Neapolitanorum quod attinet, qui Innocentio IV. ſe dedidere; facilè ex ſupramemoratis probari poſſet, meram puram fuiſſe defectionem, à Conradino neutiquam diſſimulandam, ſi ſors aequa tuliſſet; niſi quiſpiam acceptum de ejus morte nuncium cauſſari velit.

XIV. Haec fuit ultima Pontificum Romanorum

(a) *Cap. 1. §. Titius. Si de feud. defun. cont. ſit int. Dom. & agn. vaſſ. def. Cap. 1. in princ. de al. feud. par. 2.*

(b) *Cap. 1. §. ſi vaſſall. culpam. Si de feud. def. cont. ſit, &c. Cap. 1. de feud. non amitt. ſine culp. l. F. 21. Cap. 1. in pr. de nat. feud. 1. F. 7. Cap. 1. §. denique. quæ fuit. pr. cauſ. benef. amitt. 2. F. 24.*

(c) *Lib. 1. feud. tit. 22. §. 2. & tit. 27. §. 2. & lib. 2. tit. 6. §. 4. & tit. 34. §. 3.*

norum expeditio in Regnum Neapolitanum (nam auxiliares copias Eugenii IV. ad Renatum Andegavenſem, poſt obitum Johannae II, & foediſſima cum conjuratis proceribus ab Innocentio VIII. communicata conſilia, armaque miſſa ad domum Aragoniam evertendam (a) inter expeditiones non numero) haud hercle ad jus acquirendum magis idonea, quàm ceterae, quas ſupra memoravimus: quamquam ad extorquendum Regibus noſtris fidelitatis ſacramentum multum ponderis habuiſſe, manifeſtum eſt: de qua re ſuo loco tractabitur. Nam ſi finitimos, innocuoſque populos armis vexare, ad jus ſummae dominationis acquirendum aliquid habere momenti quiſpiam concedat; & id quidem fiat ab eo, qui ſummum Imperium vix obtinet in ſua ditione (cujuſmodi eſſe Pontificem Romanum pluribus oſtendi poſſet) nec juſtum bellandi habet titulum; vereor ne, rupto foedere generis humani, praedonum more, gentes in mutuum exitium, perniciemque concurrant.

(a) *Albinus de bello Inteſtino.*

XV. Quòd ſi haec vera non ſunt, Regum igitur noſtrorum viciſſim in ditionem Eccleſiae expeditiones, tantumdem juris in ſubactas ſaepiſſime urbes iiſdem peperere; quod neque tranſactionibus, neque ſponſionibus, neque induciis, neque foederibus oportet fuiſſe imminutum. Eò magis quòd (ut taceam Roberti Guiſcardi proſperè res in Piceno, & in Samnio geſtas, temporibus Leonis IX., Alexandri II., & Gregorii VII. (b)) Rogerio III. Siciliae Comiti maxima pars earum, quae inter Lyrim, & Tyberim amnes urbes ſitae ſunt, ultro ſe dedidere:

(b) *Platin. in Vitis eorundem. Ricc. lib. 1. de Reg. Sicil. Collen. lib. 3. Sigon. de Regn. Ital. lib. XI.*

didere: *parum nempe in Romanorum virtute, & consilio praesidii sibi fore intelligentes, qui rebus, & fortunis suis tam pessimè consulebant*: ut Collenucius disertè scribit (*a*). Ladislaus itidem, ultimus Andegavensium, ter Româ ipsâ potitus est; anno scilicet MCCCCCVII. Pontificatum Max. obtinente Innocentio VII., & quidem à Romanis invitatus (*b*); Anno MCCCCCVIII., regnante Gregorio XII., & Anno MCCCCCXIII. sub Johanne XXIV. Ferdinandus Aragonius Alfonsum filium contra Xistum IV. misit, animo à se alienatum, propter Laurentium Medicaeum in gratiam receptum, & res novas in perniciem Regni molientem (*c*); moxque contra successorem Innocentium VIII., qui pacem petere coactus est. Et Dux Albanus, sub auspiciis Philippi II. Hispaniarum Regis An. MDLVI. (*d*) eo bello, quod Pauli IV. cupiditate exarsit, Latium universum redegit in potestatem.

(a) *Coll. ibid.*

(b) *Collen. lib. 5. Costus in Animad. ex Matthaei Spinelli M.SS., Platin. in Innoc. VII. & Gregor. XII.*

(c) *Ricc. lib. 4.*

(d) *Mambr. Ros. Comp. Hist. Regn. lib. V. Tarcagn. de laud. Neap. lib. 3.*

XVI. Satis de Jure belli. Recensendi adhuc restant reliqui acquirendi modi, quos supra enumeravimus, nempe successio, & electio: quae accidunt subditorum voluntate, in libertate naturali degentium (*e*), dum vel familiae, vel personae se subjiciunt. Videndum itaque, num aliquando Regni Neapolitani incolae, aut Pontificem, aut Ecclesiam Romanam sponte sibi cum summo imperio praefecerint; & quidem in libertate naturali constituti; quod potissimum requiri ad legitimum jus tradendum superiùs monuimus.

(e) *Puffend. de Jur. nat. & gent. lib. 7. cap. 7. Grot. de Jur. bell. lib. 2. cap. 9.*

Ut verum fatear, nunquam me legisse memini, post Coloniam ab Augusto deductam, civitatem Neapolitanam ita fuisse liberam, ut legi-

timam

timam dominationem cuipiam deferre potuerit: multò minus alias ſingulas Regni gentes, etiam poſt Romani Imperii everſionem. Nam aut Barbari illud armis ſubjecerunt, longâque poſſeſſione jure retinuerunt; aut in Graecorum poteſtate manſit. Rurſus Graeci, cùm nullam bellandi, neq; Langobardis, neque Nortmannis juſtam praebuerint occaſionem; Regnum verò jam amiſſum nunquam habuerint pro derelicto, quouſque Orientalis Imperii nomen ſtetit; rationi minimè eſt conſentaneum, à perduellibus ſubditis, vel ſaltem non liberis, potuiſſe unquam juſtâ ditione ſpoliari. Unde Manuelis Comneni generoſa illa ad Guilielmum Nortmannum verba: *Romani enim non priùs abſiſtent Italiae bellum inferre, quàm & illam, & totam Inſulam, ſicuti primùm factum fuit, poteſtati noſtrae ſubjecerint*, ut legere eſt apud Cinnamum in Comnenorum Hiſtoria (*a*). Sergii igitur Ducis Neapolitani Rogerio Nortmanno facta mere voluntaria deditio, de qua noſtrates ſcribunt, (*b*) honeſtam cauſſam habuit nullam: *Cùm ibi moraretur* (verba ſunt Abbatis cujuſdam Caſinenſis apud Capicium-latro) *Magiſter militum Civitatis Neapolis, Sergius nomine, cernens in Rogerio tantam virtutis excreviſſe potentiam, non quidem belli rigore, ſed ſolùm ipſius timore conterritus, ivit ad illum, ejuſque ſubjicitur dominatui: quae videlicet Civitas (mirabile dictu) poſt Romanum Imperium vix unquam à quoquam ferro ſubdita fuit; nunc verò Rogerio ſolo verbo ſubmittitur*. Id accidit eo tempore, quo Rogerius, & Anacletus Pſeudo-Pontifex Salerni morabantur. Hic Sergius à fide poſtea defecit, & denuo,

(a) *Jo: Cinnam. Hiſt. Comnen. lib. 4.*

(b) *Capic. latr. Hiſt. Neap. lib. 1.*

poſt

poſt mortem Lotharii Imperatoris, Rogerii dominationem ſubiit; (a) qui Neapoli ſummâ alacritate ſequenti anno exceptus eſt; vitâ jam functo Sergio, & pace cum Innocentio II. initâ. Quidquod Caeſar Cardinalis Baronius, jurium Eccleſiae aſſertor diligentiſſimus, (b) Innocentii *Bullam* profert, ex Vaticana, ut ipſe ait, Bibliotheca depromtam; in qua diſertè quidem legitur Regni Siciliae, Ducatus Apuliae, & Principatus Capuae Rogerio facta conceſſio; ſed de urbe, & agro Neapolitano verbum nullum.

(a) *Idem ibid.*

(b) *Baron. ad Ann.* 1139.

Fit inde manifeſtum, primò errare illos, qui ab Innocentio II. Neapolim conceſſam Rogerio ſcribunt: quod ſuperiùs num. VIII. tetigimus: deinde cives noſtros Jus Imperii, ſi quod poterant, tranſtuliſſe non in Innocentium, ſed in Rogerium: adeoque neque electionis titulo civitatem ad Pontificem pertinere. Et quantum ad reliquas Regni partes, auctorem Romana Curia inveniet neminem. Immo luce meridianâ clarius innoteſcit, poſt Regii quoque tituli conceſſionem, maximâ opus habuiſſe induſtriâ, bellicâque virtute Rogerium, ejuſque ſucceſſores, ut Graecos Apuliâ, & Calabriâ ejicerent; & regiones, quae videbantur juris eſſe Occidentalis Imperii, indigenis Principibus per vim extorquerent.

XVII. Quare totum negotium in illud redit, ut videamus, num *interregni* tempore, nempe poſt extinctos Nortmannos, Svevos, Andegavenſes, Neapolitani in verba Pontificis ultro juraverint.

Sed tantum abeſt, ut ſummum Imperium eâ

datâ occaſione in Eccleſiam tranſtulerint, ut potiùs ejuſdem dominationem, haud ſecus ac peſtem aliquam exhorruerint. De Nortmannis ſupra meminimus, cùm de Clementis III. conatibus: hìc tamen addam Michaëlis Riccii verba (a) *Exceſſit è vita* (nempe Guilielmus, cognomento *Bonus*) *Panormi ſine liberis. Vnde Clemens III., Alexandri ſucceſſor in jus Eccleſiae regna tentavit aſſerere. Sed utriuſque Siciliae proceres in defuncti locum Regem ſibi creaverunt Tancredum, ejus patruum, Rogerii ex pellice filium.* Idem fere Collenucius, Tarcagnota, Contarinus, & Platina (b), quamquam in Tancredum nimis injurius. Neque me latet aliter rem tradi à Sigonio (c) ex Neubrigenſis Chronici, & Vgonis Falcandi auctoritate: nempe Tancredum, Pontifice non repugnante, ad Regium faſtigium fuiſſe evectum; contra quàm Guilielmus vivens, Henrico VI. Germaniae Regi genero ſuo gratificaturus, ordinaverat: ejuſdemque eſſe ſententiae Capiciumlatro (d) ex fide cùm Neubrigenſis, tum Riccardi à S. Germano, & Chronici Caſinenſis: ſed nobis tutius viſum eſt à recepta apud omnes opinione minimè diſcedere.

(a) *Ricc. de Reg. Sicil. lib. 1. in fin.*

(b) *Collen. lib. 3. Tarcagn. de laud. Neap. lib. 2. Contarinus Neapol. Nob. Platin. in Clem. III.*

(c) *Sigon. de Regn. Ital. lib. XV.*

(d) *Lib. 4. hiſtor.*

Poſt mortem Conradini *interregnum* non agnoſco; regnante jam Carolo I. Andegavenſe armorum jure, & Neapolitanorum ſecuto conſenſu magis, quàm voluntate Pontificum, ut ſupra demonſtravimus.

Aſt Caroli ejuſdem poſteritate in Johanna II. deficiente, rem ad *interregnum* recidiſſe viſum eſt Ordinibus Regni: aut ſaltem, contendentibus duobus Johannae adoptivis, Renato Andegavenſe, & Alfonſo Aragonio, non ſatis liquere,

re, utri potiùs imperium esset deferendum; proindeque gentium jure ad ipsos Ordines arbitrium, administrationemque rerum spectare. (a) Igitur XVI. Viros Reip. conservandae more majorum, receptoque jure constituunt. Contra Eugenius IV., in Regnum minimè liberum, non Ordinum, sed Domini *beneficialis* esse arbitrium praetendens, Neapolitanos per litteras monuit: caverent quempiam sibi Regem constituere, cui ipse insignia non tradidisset; missurumque se brevi ajebat, ad res componendas, Johannem Patriarcham Alexandrinum. Ad haec XVI. Viri, nil opus esse Pontificio legato: alium se Regem non habituros, quàm Renatum Andegavensem, quem Regina (b) heredem supremis scripserat tabulis.

(a) *Puffend. lib. 7. ca. 7. n. 8. Bodin. de Repub. lib. 3. c. 2. Conneſtag. in Hiſtor. Conjunction. Luſit. cum Regno Caſtell. Beſold. Synopſ. cap. V. n. 22.*

(b) *Collen. lib. 6.*

Quamquam verò, ut belli fortuna tulit, Alfonsus rerum potitus est; vel exinde tamen liquet, dicto Pontificis audientes minimè fuisse Neapolitanos, quòd Alfonsum, adversante nihilominus Eugenio IV., omnibus studiis sint prosecuti: tantum abest ut summum Ecclesiae imperium ratum quoquo modo habendum esse existimarent.

Regni quoque Ordinum consensu, immo precibus (c) Alfonsus idem Aragonius successorem sibi delegit Ferdinandum filium illegitimum prid. Kal. Mart. ann. MCCCCLIII. in conventu, quem habuit Beneventi; ut legitur in Capitulis ejusdem Alfonsi I. in haec verba: *Sereniſſima Majeſtas Aragonum, & utriuſque Siciliae, & c. ingentes, infinitaſque gratias iterum habens Illuſtribus, Magnificis, Spectabilibus Magnatibus, & Baronibus Regni hujus, de, & proſingulis omnibus*

(c) *Coſt. Animado. in Collen. lib. 6.*

ad ſui propoſitionem, & aliàs in hujuſmodi Parlamento reſponſis, atque oblatis, perſiſtensque in decretationibus antedictis: nec non etiam gratias habet eiſdem de ſupplicatis pro Illuſtriſſimo, atque cariſſimo filio ſuo Ferdinando de Aragonia; ſuper quibus Ea gratioſè annuens, illum in Ducem Calabriae primùm erigit, intitulat, & attollit, & c. Et inſuper ſibi ipſi Illuſtriſs. Ferdinando, cariſſimo filio ſuo, poſt ipſius Regiae Majeſtatis dies felices, ſucceſſionem, atque titulum Regni hujus Siciliae citra Farum, ejuſque heredem univerſalem ex nunc pro tunc illum acceptari, & in Regem, & Dominum jurari debere, & c. Nullum hìc legitur factũ Eugenii Pontificis, neq; *aſſenſus* ejuſdem reſervatus: qui tamen haud multò poſt in Alfonſi amicitiam reverſus eſt, quò Picenum ejus ope recuperaret: & ne videretur calculum ſuum Ferdinando deeſſe, cui, tanquam ſucceſſori deſignato, Proceres Regni ſacramento pridem ſe obſtrinxerant; natalibus eumdem reſtitutum pronunciavit, anno MCCCCXLIV.; quò nihil, ut ajebat, ad Regnum deinceps capeſſendum eſſet impedimento. Sophiſma dominationis, à Nicolao etiam V. ſucceſſore uſurpatum ann. MCCCCXLIX., & rurſus à Caliſto III. parvi habitum ann. MCCCCLIIX. *(a)*

(a) *M. S. de Juriſd. vol. 1. in Arch. Reg. Neap.*

XVIII. Aſt, inquiunt Romanenſes, nimis jejunè acquirendi dominii modos à nobis eſſe enumeratos. Ex induſtria relictam eſſe donationem, praecipuum juris Pontificii fundamentum in Regno Neapolitano. Pulchre dictum! & miror non aliquam etiam emptionem adinventam eſſe. Sed videamus, quaeſo, quiſnam tam eximiâ largitate ampliſſimum hoc Regnum donavit? num rei donatae habebat dominium, ut

in

in alium transferre potis eſſet? num Regna quoque, veluti ager, pecudes, ſint in commercio? immo num donatio à quopiàm facta ſit, quibus tabulis, quibus teſtibus? Expedita res eſt, inquiunt. Donationem habemus à Coſtantino M. piiſſimo Imperatore factam; &, ſi haec minus arridet, donationes Pipini, & Caroli M. à Ludovico Pio auctas, confirmataſque, ubi Regni Neapolitani expreſſa mentio. Teſtis eſt Italia, teſtis Europa, teſtes locupletiſſimi veterum annalium ſcriptores.

Agedum, quiſquis es, profer nobis donationis Conſtantinianae tabulas: autographas non curamus, dummodo exemplaria inter ſe conveniant. Crambem hìc, à multis recoctam, coquere non eſt animus: & quamquam vel ex hoc fit ſuſpecta ea donatio, quòd uſque ad duodecim diverſa ejuſdem inſtrumenta proferantur; cùm diverſitas & repugnantia ſcripturarum, ab una parte exhibitarum, omnem (a) iis fidem adimat, ut loquitur ipſe Imp. Conſtantinus; & qui contraria allegat non eſt audiendus (b); credamus nihilominus, uti tantopere cupit Romana Curia; nec nobis neceſſitatem dubitandi injiciat, quòd aliter habetur in *Cap. Conſtantinus* 96. *diſt.*, ubi donatum legitur Palatium Lateranenſe, urbs Roma, & omnes Italiae, ſeu occidentalium regionum provinciae, loca, civitates; aliter apud Melchiadem Papam, (c) qui *Sedem Imperialem, quam Romani Principes poſſederant*, ſcribit fuiſſe *relictam*; aliter eam memorat Nicolaus III. (d) qui Romanae tantùm urbis meminit; aliter Petrus Damianus, (e) Palatium Lateranenſe ſcribens conceſſum, & Regnum

(a) *L. Scripturæ 14. C. de fid. Inſtrum. l. ubi repugnantia, D. de reg. Jur. l. ſi quis de pluribus. C. de reb. dubiis.*

(b) *Vveſſemb. ad tit. Cod. de fide Inſtrum. ex l. 1. C. de furtis. l. cum precium 9. C. de liberal. cauſ. cap. ſollicitudinem. de appellat. C. litteras de præſumpt. Alexand. conſ. 71. v l. 3.*

(c) *Cap. futuram 12. q. 1.*

(d) *Cap fundamenta de elect. in 6.*

(e) *Damian. diſcept. Synod. Alberic. de Roſat. tit. Cod. de off. de Præf. Vrb.*

gnum Italiae *judicandum*; aliter Leo Papa IX. (a) aliter Theodorus Balſamon (b), aliter Matthaeus Blaſtares, ipſe quoque Graecus auctor; (c) aliter Ivo Carnutenſis, & Auguſtinus Eugubinus memoriae commendârunt (d): quidquod in antiquis Decretis non reperiri teſtatur Divus Antoninus, & Nicolaus Cuſanus Cardinalis (e): quis tamen Neapolitanis vim faciet, ut potiùs ceteris, quos recenſuimus, quàm Nicolao III. Pontifici Max. fidem adhibeant ? (f) Fulmina Capitolina, inquis. Bona verba ſodes. Non uſque adeò ſumus legum ignari, ut neſciamus, neminem in cauſſa propria eſſe poſſe vel teſtem, vel arbitrum (g): & in ſcripturis dubiis potioribus eſſe fidem adhibendam (h), aut quae pro reo faciunt (i). Potioritatem verò *Cap. fundamenta* ex veriſimili elicimus; cùm à vero abhorreat quaecumque inordinata liberalitas, (k) & maximè ea, quae Conſtantino filio pulchriorem, digniorem que Occidentis partem ademiſſet. Nec tantum ex veriſimili, ſed ex monumentis rerum geſtarum: nam in triente hereditatis Conſtantinianae, inter Conſtantinum, Conſtantium, & Conſtantem erciſcundae, diſertè Italia (immo Roma ipſa) enumeratur à Zoſimo, Euſebio, & Zonara (l): nec alia de cauſſa poſterioribus temporibus Exarchum ad Italiam regendam miſſum fuiſſe à Graecis liquidò patet.

Ad Romam quod attinet, conſtat conſuetum domicilium ab Imperatoribus relictum eſſe, reverentiae cauſsâ, non verò ſummum Imperium; quod, utpote in monarchia electiva, ad Pop. Rom. per abdicationem recidiſſet. Nam ſi ſecus eſt, cur Agatho Papa ad Conſtantinum Pogonatum

(a) *Leo IX. Epiſt. 1. ad Michaël.*

(b) *Balſam. in Phot. Nomocan.*

(c) *Blaſtar. Synops. Jur. Can. C. de Bulgar. Cypr. & Iber.*

(d) *Eugubin. de donat. Conſtantin.*

(e) *D. Anton. Floren. pr. part. biſt. 8. c. 1. Nicolaus de Cuſa Concord. Cathol. 3.*

(f) *d. cap. fundamenta.*

(g) *Tot. tit. Cod. nequis in cauſ. propr. l. nullus de teſtib. l. penult. D. de arbitr.*

(h) *L. optim. C. de contr. & commit. ſtipul.*

(i) *Vveſſemb. ad l. Scripturæ, C. de fid. Inſtr.*

(k) *Tit. Cod. de inoff. donation. Auth. unde ſi parens, C. de inoff. teſt. Gomez tom. 3. reſol. cap. 4. de donat. n. 13.*

(l) *Zoſim. biſt. lib. 2. Euſeb. lib. 4. de vit. Conſtan. cap. 49. 50. 51. Zonar. tom. 3.*

natum ſcribens (a) eam appellavit *urbem Imperatoris ſervilem*? Cur Conſtantius Romae degens (b) Liberium Pontificatu dejecit? Cur uſque ad Auguſtulum, cui Gothi ſucceſſere, Imperatores unà cum Pontificibus Romae morabantur? Cur temporibus Phocae ne quidem ſacellum in Urbe aedificare, ipſo renuente, licebat? (c) teſte Beda, cujus ecce verba: *Legimus in Eccleſiaſticis hiſtoriis, quod ſanctus Bonifacius, qui quartus à Beato Gregorio Romanae urbis Epiſcopatum tenebat, ſuis precibus à Phoca Caeſare impetrarat, donari Eccleſiae Chriſti templum Romae, quod ab antiquis Pantheon antea vocabatur*. Cur certa pecuniae quantitas à Pontifice electo Imperatori mittenda erat? (d) Cur Gelaſius Papa ad Anaſtaſium ſcribens ſaeculo V. dicebat: *quantum ad ordinem publicae diſciplinae* Imperatori parere Religionis Antiſtites? Cur Gregorius Papa, inter Divos relatus, in epiſtola ad Mauritium, dicit: *Ego quidem (e) juſſioni ſubjectus eamdem legem* (nempe Mauritii) *per diverſas terrarum partes tranſmitto: & quia lex ipſa omnipotenti Deo minimè concordat, ecce per ſuggeſtionis meae paginam dominis nunciavi?* Cur alter Gregorius, de reſtituendo Exarcho Ravennate ad Vrſum Ducem Venetiarum ſcribens, *ut ad priſtinum* (inquit) *ſtatum Sanctae Reipublicae Imperiali ſervitio DOMINORUM, filiorumque noſtrorum Leonis, & Conſtantini, magnorum Imperatorum? &c* (f)

Quod ſequitur tamen apud Sigonium, ubi de Gregorii II. geſtis adverſus Leonem Iconomachum (ann. DCCXXVI.) adeo planum eſt, ut interpretatione, & conjecturis non indigeat: *Ac mox Italiae* (inquit) *populos ſacramenti, quo ſe illi obligave-*

(a) *Ep. ad Conſtant. ex actis Concilii Conſtantinop. III contra Monothelit.*

(b) *Caſſiodor. hiſtor. tripert.*

(c) *Bed. tom. 6. Homil. Aeſtival. De Sanctis. Platin. in Bonif. IV.*

(d) *Decretal. Gelaſ. tom. 2. Concilior. Facit cap. cum ad verum 96. diſt. can. ſi tributum XI. qu. 1. can. Agatho 21. diſt. 63.*

(e) *D. Greg. epiſt. 61. lib. 2.*

(f) *Sigon. lib. 3. ex Anaſt. Bibliothec.*

gaverant, religione exolvit, & ne ei aut tributum darent, aut aliâ ratione obedirent, indixit. Quo decreto accepto ROMANI, Campani, Ravennates, & Pentapolitani à Leone ſubitò defecerunt, ac variis tumultibus excitatis ipſos etiam violare magiſtratus non dubitârunt. Quippe Ravennae Paulus Exarchus occiſus eſt. ROMAE Petrus Dux luminibus captus. In Campania Exhilaratus Dux, cùm populos adverſus Pontificem incitaret, à Romanis eò profectis, unà cum filio Hadriano eſt obtruncatus. Et inferiùs: *Ita ROMA, ROMANUSQ; Ducatus à Graecis ad ROM. PONTIFICEM propter nefandam eorum haereſim, impietatemque perrexit: fuerunt autem haec oppida: ROMA cum Caſtellis, & c. & in regione Campaniae, Sora, Arces, Aquinum, Theanum, & Capua.*

Habemus hìc Romanorum defectionem à Leone Iſaurico: habemus quando Pontifices ſummam poteſtatem in Romanos arripuerint: jure ne an injuriâ alii viderint. Habemus (ſiquidem donatio Conſtantiniana vera ſit) non ſummum, ſed utile dominium Beato Sylveſtro, aut cuipiam alii tributum fuiſſe. Quid enim ageret Romae Petrus Dux, in Leonis poſtea odium luminibus captus? De Neapoli quid? *Rumore Italicae defectionis* (idem Sigonius) *in Graeciam perlato, Leo rabie furens, Eutychium Patricium Exarchum primo quoque tempore in Italiam contendere, ac Gregorio ejus auctori vitam, quoquo modo poſſet, adimere imperavit. Profectus Neapolim Eutychius Campanorum partem in fide retinuit.* Haec ille. Non igitur Neapolitani ann. Chr. DCCXXVII. Romano Pontifici ſubjecti erant, ſed in fide Graecorum permanebant.

Eſt

XIX. Eſt etiam confictum illud, quod aliqui tradunt, Leonem Imp. per ſententiam Gregorii II. piorum communione, & Imperio privatum; ac proinde maximâ Regni Neapolitani parte. Nam diris tantum à Gregorio devotum fuiſſe Leonem (quem paulo ante *Dominum* appellaverat) Platina, & Sigonius, aliique affirmant (*a*): & quantum ad Imperium, ajunt, ad defectionem populos fuiſſe veluti incitatos. Sigonii teſtimonium modò retulimus; audiamus etiam Platinam: *Gregorius autem tantae impietati non modò non obtemperat, verùm etiam omnes Catholicos admonet, ne in tantum errorem timore, vel edicto Principis ullo modo dilabantur. Qua cohortatione adeo certè animati ſunt Italiae populi, ut paulum abfuerit, quin ſibi alium Imperatorem deligerent. Quo minus autem id fieret authoritate ſua conſtare Gregorius adnixus eſt.* Vnuſquiſque hinc facilè intelligit, quantum à veritate aberrent, qui Imperium abrogatum fuiſſe ſcribunt; quando *populi Italiae* in eam deſcenderant ſententiam, ut alium *Imperatorem* ipſi *ſibi deligerent*, non acciperent à Pontifice. Si verò propter Leonis haereſim putabat Gregorius, Apoſtolici faſtigii eſſe Imperatorem ditionibus dejicere; perſonae potuiſſet fortaſſe adimere (concedamus enim hoc) non Imperio, & ſucceſſoribus forte Catholicis; ne poenam ferrent alieni criminis. Inquit enim Bellarminus (*a*), Regna à Pontificibus ſi quando ademta ſunt, non ſibi, ſed legitimis heredibus fuiſſe tributa, perſonâ tantum peccante de medio ſublatâ. Neque igitur verum eſt, tunc temporis Graecos à Pontificibus ditione ſpoliatos; neque Apuliam, Siciliamque Eccleſiae fuiſſe addictas: & ridiculum plane eſſet credere, Ponti-

(a) *Sigon. lib. 3. Plat. in Greg. II. Oth. Friſingenſis lib. 5. cap. 18. Panvin. in Greg. II. Paul. Diac. de geſt. Longobard. lib. 6. cap. 49. Blond. Decad. 1. lib. 10.*

(b) *Bellarm. cap. 12. contr. Barcl.*

fices de his regionibus tantopere cogitaſſe, quae facilè à Graecis in officio contineri poterant; eoſdemque poſterioribus temporibus, uſque ad Nortmannorum aetatem, fuiſſe adeò negligentes, parumq; de Eccleſiaſtica retinenda dignitate ditioneque ſollicitos; ut nullâ operâ, nullâ induſtriâ Apuliam, Siciliamque obtinere, Graecoſcoſque inde expellere niterentur. Quibus rationibus ſatisfactum etiam puto alii haud abſimili objectioni, deſumptae ex ſententia Gregorii III., quam Villanus Florentinus (*a*), & Platina memorant (*b*). Scribit ille, latâ adverſus Leonem ſententiâ Apuliam, Siciliamque perpetuò in Eccleſiae ditione futuras pronunciatum: Platina verò: *Hic ſtatim* (inquit) *ubi Pontificatum iniit, cleri Romani conſenſu, Leonem III. Imp. Conſtantinopolitanum Imperio ſimul, & communione fidelium privat*. Quod ſi non rationi, certè conſuetudini Eccleſiaſticae magis congruit, quàm ſententia nullis certis auctoribus à Villano allata. Nec quia Leo Imperio ſpoliatus eſt, ideo Imperium, & Reſpublica Provinciis ampliſſimis erant mulctandae, & Eccleſia cum aliena jactura locupletanda. Quod ſi id jure fieri potuit (quod omnino negatur) cur non univerſum Imperium perpetuò Eccleſiae addictum, ſed Apulia tantum, & Sicilia? Quae iſthae fuit continentia?

(a) *Villan. hiſt. lib. 4.*

(b) *Platin. in Greg. III.*

XX. Nunc facile intellectu eſt, cur Pipini, & Caroli Magni donationes, & Ludovici Pii confirtionem, quas ſecundò nobis objiciunt, ſummi beneficii loco habuerint Pontifices. Arreptam ab ipſis dominationem Langobardi quotidie vexabant; qui etiam, Aiſtulpho Duce, Eutychium Exarchum Italiâ exegerant (*c*), ipſamque Romam jam appetebant, ann. DCCLII (*d*). Inſede-

(c) *Sigon. lib. 3. de Regn. Ital. ad an. 739.*

(d) *Sigon. ad ann. 753.*

rant

rant quoque Graecorum animis Gregorii geſta; & pulcherrimam Europae partem, jamdiu Imperii ſedem, & robur, non omittendam putabant. Opus itaque fuit Principe tunc potentiſſimo Pipino, & mox Carolo M. ejus filio, qui Langobardorum potentiam, nimis inſultantium, labefactarent; & Graecos, inhiantes Italiae, cohiberent, Provincias, malè à Pontifice partas, ut primùm daretur occaſio vindicaturos. Quamquam verò legatos miſiſſe Stephanum II. ad Conſtantinum Copronymum, ſcribit Sigonius, ut Italiam ab Aiſtulphi cupiditate tueretur; idem tamen ſubdit, profectum Pontificem ad Pipinum, Conſtantini impietatem pluribus exaggeraſſe; interque primas curas habuiſſe, ne Graecis Exarchatus in poſterum redderetur: & Pipinum ſanè pollicitum fuiſſe, Exarchatum, & Pentapolim, *Reipublicae Romanae adempta*, Beato Petro, & ſucceſſoribus ejus fruenda in perpetuum ſe traditurum; atque ita praeſentem ſcribam referre in tabulas juſſiſſe. Quod an. DCCLV, poſt devictum Aiſtulphum, novis donationis tabulis fuit confirmatum: contra ſed fruſtra nitentibus Georgio Protonotario, & Jo: Silentiario Conſtantini legatis. Quod ideo adnotavimus, ne quis putet, Italiam à Graecis ita habitam fuiſſe pro derelicta, ut ſummum imperium ob Pipini factum amitterent (a).

Haec Pipini donatio, quae Exarchatum, & Pentapolim Eccleſiae ſubjecit, Langobardis verò poſſeſſoribus, Graeciſq; dominis ademit, mirum quantum fidei, & auctoritatis detrahit donationi Conſtantinianae; & ſaltem non univerſae Italiae hanc meminiſſe probat. Cur enim Stephanus à

(a) *Confer quae ſupra dicta ſunt n. X. verſ. Ad haec.*

Pipino Ravennam impetrasset? quando dominium rerum ex pluribus causis esse non potest (a)? neque quod jam nostrum est, magis nostrum (b)? Adde de Regno Neapolitano Pipinum verbum feciſſe nullum.

(a) *L. 159. D. de reg. jur. l. 3. §. ex plurib. D. de acquir. & amitt. poss.*

(b) *§. 10. Instit. de leg. §. 14. Instit. de action.*

XXI. De donatione Caroli M. verum quidem est, scribi à Sigonio (c), quòd, cùm ann. DCCLXXIII. Carolus amplissimam de Desiderio Langobardorum Rege victoriam retulisset, rogatus à Pontifice Hadriano I., Pipini patris donationem confirmavit, adjiciens insuper *Corsicam, Sardiniam, Siciliam, Territorium Sabinense, Ducatum Spoletanum, Tuscumque Langobardorum, unà cum censu, qui quotannis pro his Ducatibus Regi Langobardorum persolvebatur*: sed duo hìc veniunt observanda. Primum verba, quae sequuntur: *SALVA tamen super eosdem Ducatus, REGIA DITIONE*. Alterum, facere quò minus adhibeatur fides, scripturarum diversitatem. Etenim Platina (d) ex Anastasii Bibliothecarii auctoritate, adjectum inquit *Quidquid in Liguria ab urbe Luna, jampridem eversa, usque ad Alpes Italiae fines pertinet; item Corsicam Insulam, & quidquid Lucam, & Parmam interjacet; Forum-Julii, cum Exarchatu Ravennate, cumque Beneventano, & Spoletano Ducatu*; & ne γεὺ quidem de Sicilia, Calabria, & Apulia, quas utique non praetermisisset. Immo ipse Sigonius, postquam scripsisset, Carolum *jure victoriae* Regnum Italicum sibi vindicasse (e); mox subdit, in eodem Regno constituendo hunc servâsse ordinem: *Primùm Apuliam, et Calabriam Imperatori, sicut à victoria fuerat Justiniani, reliquit; quae post à Nortmannis occupatae in alterius Re-*

(c) *Sigon. lib. 3. in fin.*

(d) *Platin. in Hadrian. I.*

(e) *Sigon. in pr. lib. 4.*

gni

gni formulam conceſſere, quod demum Neapolitanum eſt appellatum. Quid apertius? quis tam impudens, qui aſſerat, Neapolitanum Regnum à Carolo Pontifici donatum? non dicam cum ſumma poteſtate, ſed ne quidem cum inferiori, & precaria: nam quòd ad Beneventanum Ducatum ſpectat, ſub quo etiam Capua, & Salernum, Carolus Aragiſo Langobardo, Deſiderii Regis genero feudi jure utendum fruendum conceſſit (*a*).

(a) *Idem Sigon. ibidt*

Huc accedit quod nuper tetigimus, in cunctis memoratis regionibus, omnia praeter Jus imperii, & majeſtatis Hadriano acceſſiſſe: *Exarchatum Ravennatem* (ait idem Sigonius) *Pentapolim, Ducatum Peruſinum, ROMANUM, Tuſcum, et Campanum, JURE, PRINCIPATU, & DITIONE ſibi RETENTA, Pontifici permiſit; reliqua ipſe ſibi nomine Regni retinuit.* Quòd ſi Jus imperii in Ducato *Romano* juſto titulo non habet Pontifex; quid erit in Regno Neapolitano, cujus neque poſſeſſio à quopiam tributa eſt? Aut ego amens ſum, aut aulici aſſentatores nimium ſibi indulgent, illuduntque Romano Pontifici. Quamobrem miſſam hoc loco faciemus de validitate donationis diſceptationem, quando nihil inalienabile donavit Carolus.

XXII. Succeſſit Hadriano Leo III. ann. DCCXCV I. qui ann. DCCCI. die natali Servatoris Carolum M. Imperatorem coronavit, *ſcito, et precibus Pop. Rom.* (*b*), qui acclamavit hac formula: *CAROLO AUGUSTO A DEO CORONATO, MAGNO, ET PACIFICO IMP. ROMANORUM VITA, ET VICTORIA.* Qua in re ridenda eſt omnino illorum amentia, qui Imperatorem creatum à Pontifice

(b) *Sigon. lib. 4. Platin. in Leon. III. Monac. Engoliſmenſ. in vit. Carol. M. Ado Vienn. in Chron. Aet. 6. Blond. Ital. Decad. 2. lib. 1. Pius II. cap. 9. de ort. & auctorit. Imp. Rom. Panvin. de Comit. Imp. & in Leon. III. Io: Bapt. Egnat. lib. 3. de princ. Rom., Sigebert. Chron. anno 801. Marian. Scot. Chron. lib. 3.*

(a) *Bellar. de transl. Imp. lib. 1.*

ce ſcribunt (*a*); cùm non fuerit niſi unctus, & coronatus, more ubique gentium recepto, ut Epiſcopus id muneris habeat in Regum inauguratione: quod magis pertinet ad pietatis oſtentationem, quàm ad imperium. Praeterea cùm Carolus *jure victoriae* Italiam ſibi retinuerit; & in ditionibus, quas Eccleſiae largitus eſt, *poteſtatem Regiam* reſervaverit; non video, quomodo Leo, quod ipſe non habebat ſummum imperium, (nam de ornamentis non laboro) Carolo tradere potuerit (*b*). Immo cur Carolus idem M. tantopere nuptias Imperatricis Irenes expetiverit (*c*) *ut*, *juncto* (verba ſunt Sigonii) *ſibi Orientis Imperio*, *Imperatoriam dignitatem non recenti ſolum titulo*, *ſed etiam antiqua poſſeſſione repraeſentaret*? quando ornamenta, & jura Imperialia liberalitate Leonis acceperat? Hoc arcanum, fateor, mente aſſequi non poſſum. Pontificis (ſi diis placet) ſunt omnia regna mundi; Imperium Apoſtolicâ, Vicariâque Chriſti Servatoris poteſtate Leo Carolo M. conceſſit; & tamen, ad partem Italiae obtinendam, ipſemet opus habuit ejuſdem Caroli donatione! Nae illi mihi videntur eſſe ſtomacho nimis valentiore, & prorſus Graeco, ut habet proverbium, qui has ineptias concoquunt.

(b) *L. nemo plus, D. de reg. Iur.*

(c) *Zonaras, Cedrenus, Sigon. lib. 4.*

XXIII. Confirmatio Ludovici Pii, Caroli F. Pipini N., ſecuta eſt ann. DCCCXVII. precibus Paſchalis I. (*d*) Apud Sigonium legitur adjecta Corſica, Sardinia, & Sicilia: in Campania Sora, Arces, Aquinum, Theanum, Capua: inſuper Patrimonium Beneventanum, & Salernitanum; patrimonium Calabriae ſuperioris, & inferioris, & patrimonium *Neapolitanum*. Sed Bapti-

(d) *Sigon. lib. 4. Raphaël. Volaterr. lib. 3. Geogr.*

ſta

ſta Platina haec omnia ſicco tranſit pede; motus fortaſſe auctoritate librorum Canonici Juris, (a) in quibus non invenerat niſi *Romanam Civitatem, cum Ducatu ſuo, et ſuburbanis, atque villiculis omnibus, et c.* Sed eſto: fuerint à Ludovico omnia, quae meminimus, adjecta; nemo quidem, qui Jus civile vel ſummis attigerit labiis, negabit; confirmationem, quae ad priores refertur donationis tabulas, cum iiſdem legibus factam cenſeri: relatum enim eſt in referente cum omnibus qualitatibus (b): atqui jam ſupra oſtenſum eſt, in donationibus Pipini, & Caroli excepta fuiſſe *jura majeſtatis*; igitur, poſito additas fuiſſe Siciliam, Calabriam, Apuliam; adhuc ſine poteſtate ſumma conceſſae intelligentur. Quod ex eo confirmatur, quòd anno DCCCXIX. Ludovicus Ducatū Beneventanum Siconi Langobardo confirmavit (c). Sed quid opus eſt conjecturis, & argumentis? quando diſertè confirmationis tabulae habent (d) *Salvâ ſuper eoſdem Ducatus in omnibus* NOSTRA DITIONE, *et illorum ad noſtram partem ſubjectione, et c. ut in noſtro, noſtrorumque ſucceſſorum permaneant jure*, PRINCIPATU, *atque* DITIONE, *ut neque à nobis, neque à filiis, vel ſucceſſoribus noſtris per quodlibet argumentum, ſive machinamentum in quacumq; parte minuatur* NOSTRA POTESTAS, *&c. ad utendum, & fruendum* (non imperandum) *atque diſponendum firmiter valeat obtinere, &c.* Quid planius, quid expeditius? utilitas Pontifici, Imperatori ſumma dominatio relinquitur, etiam Urbis Romanae.

XXIV. Doceant nunc adverſarii, num Regnū Neapolitanum fuerit à Ludovico Pio Pontifici Romano conceſſum; & ſi conceſſum, jure conceſ-

(a) *Can. Ego Ludovicus 30. diſt. 63.*

(b) *L. aſſe toto 77. de hered. inſtit. l. ſi ita ſcripſero. De condit. & demonſtr. l. inſtitutio ibi. l. edita, C. de edendo. Cap. Abbate ſane. Cap. porro de V. S. Alcias. Reſponſ. 774. n. 1. & 2. Bald. conſ. 212. Pariſ. conſ. 63. col. 3. Alex. conſ. 66. lib. 1., & conſ. 9. lib. 3. Dec. in l. penult. C. de edendo. Gratian. diſcept. lib. 2. cap. 289. Cravett. conſ. 987 n. 56. Peregr. de fideicomm. art. 16 n. 113. & art. 29. n. 17.*

(c) *Sigon. lib. 4.*

(d) *Sigon. lib. 4.*

ceſſum; & ſi jure conceſſum, quid conceſſum: ager ne, & cenſus, & redditus, an ſumma dominatio? Nemo enim non novit, Irenem Auguſtam de avulſo Occidente conqueſtam (a); & non minùs ipſam, quàm ejus ſucceſſorem Nicephorum, anno Chriſti DCCCII., difficultate temporum adductos, in eo acquieviſſe, ut quidquid Neapoli, Syponto, ac promontorio Hydruntino, unà cum Sicilia, continetur, Orientali Imperio pareret; (b) limes verò utriuſque Imperii Beneventum eſſet: quae omnes regiones, ludente quodammodo fortunâ, Occidentalibus acceſſere anno DCCCCLXIX. (c) & rurſus, imperantibus Baſilio, & Conſtantino, ad Graecos reverſae, (d) variis bellorum caſibus ad tempora uſque Guilielmi Nortmanni afflictatae ſunt. Aut igitur Neapolim, Siciliamque Ludovicus Eccleſiae Romanae non addixit; aut jure non addixit, propter pactiones cum Irene, & Nicephoro (e) initas; aut jus dominationis ſibi reſervavit, quemadmodum in donationis tabulis continetur. Sed non addixiſſe ſatis conſtat ex geſtis Othonis Magni an. Chr. DCCCCLXXIII. *Erat Italia hoc tempore* (inquit Sigonius (f) *in has regiones diviſa, Apuliam, Calabriam, Ducatum Beneventanum, Campaniam, Lombardiam, Marchias Anconitanam, Veronenſem, Tarviſinam, Forojulienſem, & Genuenſem. Ex quibus Apulia, & Calabria, ad quam antiqui Brutii pertinebant, Graeco adhuc Imperatori paruerant; reliqua omnia, poſt recuperatam à Carolo Magno Italiam, Romani nutum Imperatoris reſpexerant. Ex his igitur Ducatum Beneventanum, qui antiquo ferme Sammio includebatur, Principi Beneventano, Cam-*

(a) *Bellar. de transl. Imp. lib. 1. Cap. XI.*

(b) *Summont. Hiſt. Neap. lib. 1. cap. 12. Collen. lib. 2. Sigon. lib. 4. Platin. in Leon. III.*

(c) *Sigon. lib. 7.*

(d) *Collenuc. lib. 2.*

(e) *Cinnamus in Hiſtoria Comnenor.*

(f) *Sigon. lib. 7.*

pa-

paniam, cui Lucania quoque erat adjuncta, Principibus Capuano, Neapolitano, & Salernitano: Romam, & Ducatum Romanum, Ravennam cum Exarchatu, Ducatum Spoletanum cum Thuſco, & Marchiam Anconitanam Pontifici Romano Otho dimiſit. Haec verba clariora ſunt, quàm ut interpretatione, conjecturiſque illuſtrentur. Ex quibus tamen conſequitur, veterum privilegiorum confirmationem, ab Othone III. Sylveſtro II. Pontifici (non ut quidam ajunt Johanni XII.) factam (a) nec quidem de Regni Neapolitani Provinciis locutam fuiſſe. Igitur non ſine ſumma ratione Lotharius ad ſe pertinere ajebat, non ad Innocentium II. jus per vexillum inveſtiendi Reginulfum illum, quem poſt exactum Rogerium III. Regno fuiſſe impoſitum ſub Ducis nomine, ſupra meminimus: nec levibus nitebatur fundamentis ſententia Henrici VII. (b) qua Robertum Andegavenſem Regno exciſum pronunciavit, anno MCCCXIV., quòd ad certam diem Piſis evocatus, Imperatori non paruiſſet: quamquam Clemens V. pro irrita nulliuſque momenti habendam cenſuit (c). Si verum tamen fateri malimus, neutrius dicto audientes eſſe oportebat Nortmannos; quos in Regno, quod armis paraverant, aut neminem, aut Graecum Imperatorem ſuperiorem recognoſcere aequum erat. Sed res Graecorum in Oriente attritae, in Italia deletae; Occidentalis Imperii vires integrae, ac firmae; Regum noſtrorum incerta, & parum tuta dominatio, erectos ſublimeſque ſpiritus gerere non ſinebat. Ipſi tamen Ludovicus, & Lotharius I. Calabriâ, & Apuliâ abſtinendum jampridem exiſtimaverant; cùm enixè à Greg. IV.

(a) *Id. ibid. ad ann. 988.*

(b) *Collenuc. lib. 5. Joh. Villan. hiſt. Conſtantius lib. 5 Riccius lib. 3.*

(c) *Clementin. Paſtoralis. De re judicata.*

rogati, ut Siculis, de ſumma rerum periclitantibus, adverſus Saracenos opem ferrent; nihil ad ſe, ſed ad Michaëlem Imp. Conſtantinopolitanum eam rem pertinere dixerunt. (a)

(a) *Platin. in Gregor. IV.*

XXV. Quod ſi haec omnia vera ſunt, prout nemo, cui vel tantillum cor ſapit, negabit eſſe veriſſima; & nedum directum, quod vocant, & ſummum dominium Regni Neapolitani in Pontificem unquam translatum eſt; ſed neque illud, quod appellatur utile: conſequitur evidenter, nullâ ratione niti vulgi opinionem aſſerentis eſſe feudum Romanae Eccleſiae: eò magis, quòd ſuperiùs demonſtratum eſt, neque belli jure, neque ſucceſſione, neque electione ad eandem pertinere. Si verò non pertinet, quomodo alteri in feudum concedet (b) alienam rem? & quidem ſine domini directi conſenſu, & auctoritate? (c) quando conſtituentem oportet majorem eſſe conſtituto, non dignitate, ſed imperio, ubi de imperio, & dominio tractatur? (d) & Romani Pontifices ante ſaeculum XIV. in ipſa Vrbe Roma integram dominationis vim non habebant, teſte Guicciardino.

(b) *L. nemo. De reg. jur. cap. nemo eod. in 6. l. obſervare, §. ult. de offic. Proconſ. l. traditio de acqu. rer. dom.*

(c) *L. id quod noſtrum 11. de reg. jur.*

(d) *Guicciar. Hiſtor. lib. 4.*

Verùm conceſſiſſe Nortmannis legimus apud Hiſtoricos, & quotquot ab illa aetate Regno potiti ſunt. Eſto: ſed primùm cogitandum eſt, quòd ſicut ubi de jure inter privatos diſceptatur, legibus non exemplis judicandum eſt; (e) ita ubi de ſumma Imperii, quae eſt juris gentium (f) oritur quaeſtio, non exemplis res metienda, ſed jure gentium, & naturae (g). Deinde non quod factum ſit attendendum eſſe, neceſſitate cogente, ſed potiùs, quod fieri debuit (h): & quod contra rationem juris receptum eſt, non

(e) *L. nemo 13. C. de ſent. & interloc.*

(f) *L. ex hoc jure, D. de juſt. & jur.*

(g) *L. jus publicum De pactis.*

(h) *L. quae propter 162. De reg. jur. l. quod licet 12. D. de off. Praeſid.*

eſſe

esse producendum ad consequentia (a) Postremò quid demum à Pontifice Rom. petierint, quid sumserint Nortmanni, quid dederint.

XXVI. Ad jus quod attinet, praeter ea, quae hactenus explicata sunt, ita ratiocinari oportet. Aut Nortmanni Regnum, quod armis & bellicâ virtute sibi peperere, pleno jure obtinebant, aut non. Si primum, frustra petebant, quod in eorum erat potestate, etiamsi Pontifici illud eripuissent (b); nam quod nostrum est, non potest magis esse nostrum; unde frustra à Principe petitur, quod jure communi obtineri potest (c): quantò magis quod jure gentium, ut sunt Regna bello parta (d). Ideò Carolus M. Nicephorum Imp. Constantinopolitanum risui habuit, quòd Saxoniam, (e) jam subactam, Helmogando, Caroli legato, dono dedit; haud secus ac Alexander M. (f) Darii dementiam risit, qui dotem filiae offerebat omnia loca, inter Hellespontum, & Halym fluvium sita, quae Alexandro parebant jure victoriae. Populus quoque Romanus ludibrio se haberi putavit (g) à Vologeso Parthorum Rege, quòd per litteras ea peteret, quae jam armis paraverat. Si jure Nortmanni non obtinebant, quia forte malis artibus, & nullâ invadendi justâ occasione, provincias Graecorum invaserant; non ad Pontificem, sed ad Imperatorem preces erant dirigendae, de cujus re agebatur (h); nec poterat Papa de ejus jure quidpiam detrahere, &, ut ajunt, de aliena pelle ludere.

XXVII. Sed quid factum sit inspiciamus. Nortmanni aliquot nobiles viri, sed privatae fortunae homines, post annum Christi millesi-

(a) *L. quod contra, D. de reg. jur. l. quod verò, D. de legib.*

(b) *L. 3. §. ex pluribus. De acqu. & amitt. poss.*

(c) *L. Imperatores, D. de reb. auctor. Jud. possid. ubi Zasius. l. unica, C. de Thesaur. lib. 10. l. 1. D. ad municipal. Zas. conf. 4. c. contra morem dist. 100. cap. hinc est 16. qu. 1. l. 1. D. ad munic. l. si quando de leg. 1. l. in causis 16. D. de minorib. Arnis. de jur. Majestat. cap. 4. n. 5.*

(d) *L. naturale, §. ult. D. de acqu. rer. dom.*

(e) *Avent. lib. 4. Annal. Bojor.*

(f) *Curt. lib. 4.*

(g) *Tacit. Annal. lib. XV.*

(h) *L. id quod nostrum. 10. De reg. jur. l. in concedendo, D. de aqu. pluv. arcend. C. ad haec, §. fin. de off. Archid.*

mum, in Italiam adventantes, egregiam fortemque Guaimaro, Salernitanorum Principi, navârunt operam adverſus Graecos; qui, receptâ iterum è Germanorum manibus Apuliâ, & Calabriâ, rebus proſperè geſtis elati, circumjecta loca vaſtaverant. Paulatim igitur opibus à Guaimario aucti, Appulis, Graecorum dominationem detrectantibus, haud inviti ſeſe adjunxere: ſed quamquam, pulcherrimis bellicae virtutis editis facinoribus, Graecorum res plurimùm affixiſſent; ingenti nihilominus clade apud Cannas acceptâ, denuo apud Guaimarium Salerni Principem, & Pandulfum Capuanum ſe recepere. Quod incidit in tempora Henrici I. Imp. & Benedicti VIII. Pontificis. (a)

(a) *Sigon. de regn. Ital. lib. 8.*

Anno MXXIII., ſub Henrici quoque ſignis, Graecos ſuperârunt; à quibus viciſſim mercede conducti, ann. MXXXIX., in Siciliam trajecerunt, & Saracenorum imperium miris modis labefactârunt.

Biennio vix exacto, cùm Ardoinus quidam Lombardus, à Ducliano, Imperatoris *Cataspano* (Magiſtratus id nomen erat), oppidis aliquot Apuliae praepoſitus, defectionem cogitaret, Nortmannos in ſocietatem adſcivit: quorum Dux Ranulfus, Averſae Comes, eâ lege trecentos ſubmiſit milites, ut occupata ex aequo dividerentur. Graeci, nil tale ſuſpicantes, facilè oppreſſi ſunt. Inſequenti anno recentem exercitum à Michaële Calaphate Imperatore Duclianus accepit; ſed adverſante nihilominus fortunâ, iterum à Nortmannis, ſub Duce Atenulfo, Beneventani Principis fratre, fuſus eſt, magnâ pecuniae vi, & impedimentis amiſſis: nec magis

gis proſperè anno MXLIII. apud Montempilo-ſum dimicatum eſt: quin ipſe Catapanus vivus in poteſtatem hoſtium pervenit, & Graeci excedere Apuliâ ferme totâ coacti. Poſt haec Nortmanni, ex lege foederis haud exiguâ ejus parte potiti, non oppida, aut caſtella pauca appetere, ſed, praepoſito ſibi Guilielmo Ferrabrachio, Tancredi Comitis Altavillaei filio, quem Comitem Apuliae appellârunt, circumjectas regiones, ac ipſam Italiam animo devorare ceperunt.

Sunt qui aliter rem geſtam narrant (a), nempe à Molocho Catapano adſcitos in belli ſocietatem Nortmannos, ut Siciliam è Saracenorum manibus vindicarent, aequis partibus poſtea dividendam: reque è ſententia ſuccedente, cùm Molochus cunctas Siciliae urbes praeſidiis Graecorum firmaſſet, irâ incenſum Guilielmum in Apuliam rediiſſe, eamque brevi redegiſſe in poteſtatem. Et mihi videtur in hac re Guilielmus cum Philippo Rege Macedoniae meritò comparandus, qui à Thebanis accitus adversùs Phocenſes, qui Apollinis templum diripuerant; partâ demum victoriâ, ſocias etiam civitates expilavit: *Veluti timens* (inquit Juſtinus (b)) *ne ab hoſtibus ſacrilegii vinceretur, quarum paulo ante dux fuerat, quae ſub auſpiciis ejus militaverant, quae gratulatae illi, ſibique victoriam nactae fuerant, hoſtiliter occupatas diripuit.*

(a) *Collen. hiſt. lib. 3. Platin. in Sergio IV.*

(b) *Juſtin. hiſt. lib. 8.*

XXVIII. De modo non laboramus. Quod tamen videtur citra omnem diſputationis aleam eſſe poſitum, Nortmanni Graecis Apuliam ademere; nullâque Pontificis impetratâ ve-

veniâ, Guilielmus Comes appellatus est. Sed quî vellent à Pontifice dignitatis titulum accipere, qui Ecclesiae finibus non abstinebant? Quo factum, ut ann. MXLVII. Henricus II. Germanorum Imp., Clementis II. rogatu, ad eorum audaciam compescendam, in Campaniam cum exercitu se contulerit. Inde, post aliquot castella Pontifici recuperata, Capuam profectus Imperator, eam Pandulfo priori Principi restituit, sponte se abdicante Guaimaro: *Drogoni verò Apuliae, & Ranulfo* (verba sunt Sigonii) *Aversae Comitibus, cùm ad se adissent, atque equos eximios, magnamque vim pecuniae obtulissent, quam tenebant ditionem imperiali authoritate sancivit.* (*a*) Et horum quidem Ranulfus in Comitatu Aversae à Conrado Imperatore confirmatus pridem fuerat (*b*), quemadmodum Guaimarus in Principatu Capuae, pulso Pandulfo, quem Imperat. Henricus I. Campanis imposuerat.

(a) *Sigon. loc. citat. Chron. Cassin. lib. 2. c. 42. & c. 66. Admirat. in Guaimaro.*

(b) *Chron. Cas. ibid. & cap. 42.*

De Pontifice nulla hic mentio. Nortmanni, Graecorum vim longinquam, Henrici praesentem meritò formidantes, in Occidentalis Imperii clientelam ultro transiere. Quod iterum aut jure factum fuisse dicemus, aut non jure. Si jure, nequibant ergo citra perjurii, & defectionis notam, ejurato domino priore, Gothfridus, & Robertus Viscardus Leoni IX. Pontifici se subjicere; nec Leo sacramento adactos eosdem in fidem recipere: agebatur nimirum de jure tertii, ut loquuntur J. Cti. (*c*): & hìc quadrat illud, quod de Scotiae Regno testantur Historici. Imploraverant Scoti auxilium Pontificis adversus Eduardum I., qui monitus ideo, *Abstineret bello lacessere Scotos, qui se Ecclesiae dedissent*;

(c) *Cit. leg. id quod nostrum de reg. jur. Budaeus in l. justitia, D. de just. & jur.*

re-

reſpondit : *non potuiſſe Scotos ab Eccleſia recipi in patrimonium, cùm longo jam tempore fuerint ſubditi, & vaſſalli Regni Angliae. Eccleſiae verò non convenire ſubditos Principibus ſuis ſubtrahere, aut cum aliena jactura diteſcere* (*a*). Si non jure, cùm Graecorum cauſsâ, tum deficiente populorum conſenſu; ſtantibus igitur iiſdem cauſſis (*b*), neque illam Pontifici Romano deinceps fidelitatis ſponſionem jure factam eſſe intelligemus: ſed fuſiùs infra.

(a) *Arniſ. de Jur. Majeſt. cap. V.*

(b) *L. illud 32. D. ad leg. Aquil.*

XXIX. Pergamus modò ad reliqua. Ann. MXLIX. Hunfridus Apuliae Comes, qui Drogoni fratri ſucceſſerat, hoſtili animo in fines Eccleſiae copias duxit; cauſſam praetendens, quòd Leo IX. Campaniae Principes ab amicitia Nortmannorum, in dies magis invaleſcentium, avocaverat (*b*). Non hìc quaero, juſta ne fuerit invadendi occaſio à Nortmannis captata; aut juſtum Pontificis de avocandis Campaniae Principibus conſilium (*c*); quod tamen reor, vix à quopiam concoqui poſſe, illud eſt, quòd, cùm anno ML. Richardus, Comes Averſanus, Hunfridi frater (*d*) Capuam Landulfo Pandulfi filio ademiſſet, Leo irâ percitus Capuam, & Beneventum diris devovit. Ea namque querela, aut ad neminem, aut ad Caeſarem pertinebat, tanquam inter ejus ſubditos de jure territorii orta, nulloque pacto ad Pontificem.

(c) *Sigon. ibid.*

(d) *Legendus Grot. de jur. belli, &c. lib. 2. cap. 1. & Arnold. Clapmar. de arcan. Rerump. lib. 4. cap. 10.*

XXX. Anno MLIII. Henricus II. Imperator Beneventum Eccleſiae largitus eſt (reſervatâ, ut puto, *ſumma poteſtate*) (*e*): & haec nova bellandi materia, quam ſuperius num. VI. tetigimus. Quod tamen ibi omiſſum eſt, non videtur hìc praetereundum, videlicet aliter rem tradi

(e) *Idem Sigon.*

(f) *Chron. Caſſin. lib. 2. c. 42. Plat. in Leon. IX.*

di à Sigonio : ſcribit enim pugnatum in Apulia; & Nortmannos, antequam cum Leone confligerent, reverentiâ Pontificis ductos, pacem petiiſſe, *eâ lege, ut quae ceperant Eccleſiae beneficio retinerent, atque feudatarii fierent* : ad quae Leo : *Reddant ante*, inquit, *res S. Petro ereptas, deinde de pace loquantur*. Cui Normannus: *Priùs millies pugnando mortem oppetiturus ſum, quàm quae ſemel armis peperi redditurus*. Pugnatum deinde, & Pontifex captus.

Ex ipſa rerum geſtarum ſerie, & ex Hiſtorici verbis liquidò patet, primùm Nortmannos haud quidem Ducatum Apuliae beneficio Pontificis in poſterum ſe poſſeſſuros dixiſſe ; ſed ea, quae ceperant, ad D. Petrum ſpectantia; puta Beneventum, & alia minora oppida: deinde, cùm Pontifex pacis oblatas conditiones reſpuiſſet, feudatarii Eccleſiae minimè factos: tandem neque ipſa oppida tunc reſtituta.

Omnia quae hactenus dicta ſunt planum faciunt, Pontifices in Regno Neap. nullum habuiſſe *jus in rem*, ut loquuntur J. Cti. Nunc reſtat excutere, quid facto noſtrorum Principum adepti ſint.

XXXI. Primus igitur omnium Robertus, cognomento Guiſcardus, in Nicolai II. Pontificis verba juravit, anno Chriſti MLX. Qua occaſione, quibus conditionibus, idem Sigonius explicat (*a*), cujus verba hìc tranſcribere neceſſarium duxi. *Robertus*, inquit, *Viſcardus, qui prioribus annis, Hunfrido fratre mortuo, & Bajelardo fratris filio exacto, Apuliae Comitatum invaſerat, modò Rhegio Calabriae oppido, & Troja Apuliae capto ſuperbus, ultro ſe Ducem Apuliae, atque Calabriae*

(a) *Sigon. lib. 9. ad ann. 1059. Platin. in Nicol. II.*

labriae appellabat, & ditioni Pontificis, quasi continuâ rerum serie tractus imminebat. Richardus autem frater ejus, qui Capuam, Landulfo Principe ejecto, portis tantum, & turribus urbis in civium potestate relictis, occupaverat; Campaniae fines vexare non desinebat: uterque autem diris à Pontifice devotus, in ejus se auctoritate futurum, atque omnem ditionem armis partam, acceptam ei relaturum pollicebatur, si se in gratiam recipere, ac feudatarium Ecclesiae constituere vellet. Quibus rebus cognitis Nicolaus, qui parum in se roboris ad bellum tantum gerendum cernebat, atque proximum Leonis periculum ante oculos habebat, & populorum quotidianas defectiones reformidabat, postulatis eorum assensit: atque ad rem propiùs inspiciendam, ac cognoscendam, Melfim, ut diximus, processit; ibique conventu habito, Richardo Capuanum Principatum, Roberto Apuliae, Calabriaeque Ducatum vexillo tradito confirmavit, atque solemni eos sacramento adegit, se Ecclesiae Romanae fideles, ligiosque (sic enim loquebantur) futuros, atque annui tributi nomine duodenos in singula boum juga denarios soluturos. (a)

Præter Sigon. Chron. Cas. lib. 3. c. 13.

XXXII. Expendamus singula. Robertus Bajelardo nepoti Calabriam, & Apuliam contra fas, & jus ademerat: legitimum ergo dominium harum regionum non habebat. His rebus Pontificis animus minimè permovebatur: hac de caussa dominationem ad Ecclesiam revocandam esse oportere non clamabat: non sacris Robertum arcebat, & Carolinae donationis, & Apostolici officii oblitus. Pergit Robertus, uno scelere ad alia manuducente; &, cupiditate nimiâ imperii prolatandi flagrans, in fines Ecclesiae

copias ducit. Statim, ſolemni carmine, piorum communione privatur. Summâ apud populos invidiâ laborat. Quid erat agendum? Hinc conſcientia malefactorum eum torquebat; hinc agitabat metus, ne populorum animi, religione perterriti, à fide deſciſcerent. Arcanum itaque conſilium ad invidiam amovendam, malèque partam dominationem in tuto collocandam, capit; religionis phantaſmate infatuare plebem, titulumque apud eam validum ſibi comparare. *Ligium* hominem ſe facit Pontificis, à quo ditionem armis partam acceptam laturum profitetur; tributique annui nomine ſoluturum duodenos denarios in ſingula juga boum. *(a)* Viciſſim Dux Calabriae, & Apuliae pronunciatur. Nimirum ineptè callidus homo neſciebat quantum ſibi liceret: quid enim vetabat *jure gentium* appellare ſe non modò Ducem, ſed Regem? aut quid ad ſummum imperium faciebat frigida illa Ducis appellatio? Recte, ſapienterque olim Romanis, apud *quos jus imperii valebat*, *inania tranſmittebantur* *(b)* erat in more poſitum, *vim principatus complecti, nomen remittere* *(c)*. An forte ignorabat rei ſuae nullam eſſe acquiſitionem? *(d)* inanemque ludere operam, qui ſpeciali privilegio vult acquirere, quod jure publico jam habet in poteſtate *(e)*? Regnum armis paraverat: acceptum igitur ferendum erat militibus, amicis, clientibus, ſubditiſque, quorum virtute, operâ, conſilio, opibus acquiſiverat.

(a) *Sigon. de Regn. Ital. lib. 8.*

(b) *Tacit. 4. Annal.*

(c) *Id. 4. Hiſtor.*

(d) *L. 4. C. de contr. empt. §. 10. Inſtit. de legat.*

(e) *L. Imperator. De reb. auctor. Jud. poſſid.*

XXXIII. Sed ponamus minimè Bajelardo nepoti, per ſummam injuriam, eripuiſſe: an ideo in Roberti erat arbitrio ſitum, ſe, ſuamque ditionem Pontificis Romani facere beneficiariam?

riam? Istud quò minus credam duo potissimùm obstant. Primum quia Italiam Graeci non adhuc habebant pro derelicta, quò possent Nortmanni plenum jus sibi comparare. Etenim cepisse rem is intelligitur, *qui ita detinet* (verba sunt Grotii (*a*), *ut recuperandi spem probabilem alter amiserit. Et ut captor acquirat dominium*, inquit Puffendorfius (*b*) *valiturum etiam adversus eum, cui res erepta fuerit, necessum est ut accedat hujus cum altero pacificatio, & transactio. Citra banc enim priori Domino jus remanere intelligitur ad rem istam, quandocumque vires superfuerint, hosti iterum extorquendam*. Alterum quia, posito, plenissimum jus nactos fuisse Nortmannos, adhuc ligium se hominem Ecclesiae facere nequibat Robertus: cùm Drogo, & Ranulfus, deditione Henrico II. Caesari pridem factâ, clientelari jure imperare cepissent. Igitur, quemadmodum in superioribus disputatum est, factum Roberti irritum fuit, & inane; non poterat enim alteri dare (*c*) quod in ejus bonis non erat; nec feuda Ecclesiae facere Apuliam, Calabriamque, quae jam essent juris Imperii Occidentalis. Quid enim magis ridiculum, quàm *de alieno liberalitatem exercere*? aut quid à ratione magis absonum, quàm vassallum, invito domino, feudum alienare (*d*)? immo summum imperium feudi? Ni maluisset Robertus, monstrosâ quadam rerum permutatione, Pontificem Imperatoris immediatum vassallum facere, se immediatum Pontificis: quemadmodum à Mathilde factum videri potuit, quae Imperii feuda, quae possidebat, Ecclesiae legavit. Etenim res transeunt cum onere (*e*), nec mutant qualitatem

(a) *Grot. de Jur. bell. lib. 3. cap. 6. l. Pomponius, D. de acqu. rer. domin.*

(b) *Puffendorf. de jur. nat. & gent. lib. 8. cap. 6. §. 20. Idem lib. 7. cap. 7. §. 3.*

(c) *Argumento l. unum 67. §. Si rem tuam, D. de leg. 2.*

(d) *C. naturalis, ubi Gloss. & DD. si de feud. fuer. controv. Chassan. Catal. Glo. mundi part. 5. consid. 28.*

(e) *L. si servitus. De servit. praed. rustic.*

cum qualitate poſſeſſoris (a) uti docent J. Cti. Accedit, quòd nemo poteſt duorum dominorum aequè, ſive inſolidum, eſſe homo ligius, ſive vaſſallus reſpectu ejuſdem feudi (b): cùm propter illam rationem, quam in limine hujus diſceptationis explanavimus, nempe jus ſummum dominationis, & vim imperii eſſe indiviſibilem; tum quia juramentum, in quo fidelitas *contra quoſcumque* domino promiſſa eſt, novo ſuccedente juramento conſiſtere nequit. (c)

Quod tamen caput rei eſt, non poteſt ligium vaſſallum habere, & talem, qui principali gaudeat dignitate, niſi qui alium non agnoſcit ſuperiorem (d). Atqui Pontifex Romanus, quam quam in iis, quae ad regimen animorum ſpectant, ſummus ſit Epiſcoporum Epiſcopus, & Dei Opt. Max. Vicarius, nec alium praeter ipſum habeat, cui rationem reddat villicationis ſuae; quantum tamen ad ordinem temporalium rerum habet Principes, & Caeſarem ſuperiores, uti ex ſuperiùs dictis, & ex infinitis SS.PP. teſtimoniis fit manifeſtum: immo ex ipſis Caroli M. & Ludovici Pii donationibus, teſtamentoque Mathildis, quibus debet ditionem, quam ampliſſimam in Italia poſſidet. Unde receptum eſt apud Juris feudalis interpretes, Papam ſi feudum accipere velit, juramentum fidelitatis praeſtare oportere (e). Jam verò ſi ſumma poteſtas ditionis Eccleſiaſticae, aetate praeſertim Roberti Guiſcardi (niſi nobis imponant Sigonius, Guicciardinus (f), & alii) ad Imperatores Occidentis pertinebat; qua fronte quiſpiam affirmare auſit, Robertum ligium Eccleſiae hominem fieri potuiſſe? Ego verò in ea ſum ſen-

(a) *L. uſufructu 7. §. cum Celſus, l. ſi pendentes 27. §. ſi quid. De uſufr. l. Paula 27. §. ult. De leg. 3. l. 2. 12. 17. de alim. legat. l. generaliter 24. §. fin. de fideic. libert. l. 4. §. Is verò D. de cenſib. l. cum unus. De reb. auct. Jud. poſſ. fid.*

(b) *Cap. extr. Si quis inveſt. de feud. lig. Gloſ. in Clem. Paſtoralis de ſentent., & re jud. Specul. de feud. §. quoniam. Bald. in c. caeterum n. 7. de Judic. Roſenthal. de feud. c. 2. concl. 4. Cujac. c. un. de nova form. fidel. C. un. de feud. lig. Vultejus lib. 1. c. 8. n. 21. Gail. Arreſt. c. 6. n. 29. Duaren. Conſuet. feud. cap. 4. n. 4. c. 1. §. praeterea. De probib. alien. per Fridric. 2. F. 55.*

(c) *Cap. intellecto de jurejur. C. venientes ibid. Roman. com. opin. lib. 6. concluſ. 9. n. 3.*

(d) *Bald. in praelud. feud div. 7. n. 56. Rebuff. Declarat. feud. diviſ. 10. argumento l. nam magiſtratus, D. le recept. arbitr., judicium 58. D. le judic. l. ille de uo, §. tempeſtivum, D. ad Trebell. Duaren. Conſuet. feud. cap. 4. n. 7.* (e) *Affict. ad c. 1. § item ſi Cler. de capit. Corrad. Jaſon. in praelud. feud.* (f) *Guicciard. lib. 4.*

ſententia, ſi daretur Roberto iterum veſci aurâ aetherea, tot argutiolas Romanenſium riſu proculdubio excepturum, revocaturumque in eorum memoriam, quae, poſt umbratilem à Pontifice conceſſam dignitatem, ipſemet patravit, quantumque ejus dicto audiens fuerit: immo ſe Ducem Calabriae, & Apuliae à fratribus, poſt Siciliam ſubactam, diceret fuiſſe appellatum, non verò à Leone IX. dum de iiſdem ditionibus inveſtiretur. (a) Et cum Alexandro II., & Gregorio VII. bella geſſiſſe; à quibus, quamquam ſacrae deteſtationes in ejus caput jacerentur, (b) nunquam tamen pronunciatum eſt, eas regiones, ob crimina vaſſalli, ad Eccleſiam fuiſſe reverſas.

(a) *Collen. lib. 3.*

(b) *Sigon. ad ann. 1074.*

XXXIV. Quin ultro concedamus & Robertum legitimè imperitâſſe; & Drogonis, Ranulfique ſubjectionem erga Henricum II. ipſum non affeciſſe; & Pontificem nec quidem in temporalibus per ea tempora habuiſſe ſuperiorem: an ideo Roberti factum ullo potuit eſſe ſibi, Regno, ſubditis, ſucceſſoribuſque detrimento? Id expreſsè negamus.

Si enim perſonam ſpectemus, cùm ſe ligium fore juravit, tributique nomine duodenos denarios in ſingula juga boum ſoluturum, non ideo ſummam majeſtatem, aut imperium, & poteſtatem liberam in ſubditos exuere cogitavit: non enim uſque adeo abjecti animi erat, ut ex libero Principe, nullâ neceſſitate ad id cogente, ſponte ſervitium ſubire vellet: & planum eſt apud J. Ctos, mentem, non verba ſpectanda eſſe (c). Quae verò fuerit Roberti mens, vel ex eo luculenter apparet, quòd τὸ *ligium* eâ aetate non adeo

(c) *L. ſi quis filium, C. de liber. praeter. l. ſi peculium, §. ſi ſervus, D. de pecul. leg. l. cùm acutiſſimi, C. de fideicomm. l. ſed Celſus, §. 1. D. de contr. empt. l. ſi tam anguſti. De ſervitut. Schrader. de feud. par. 2. c. 1. n. 18. 19.*

adeo ſtrictè ſumebatur, uti nunc apud Feudiſtas; ſed, ex Italico verbo *liga*, quod eſt *foedus, ſocietas*, deductum, non aliam notionem praeſeferebat, quàm hominis ſacramento adacti ad alicujus fidelitatem (a): quod citra omnimodam ſubjectionem fieri poterat. Sic Dux Gueldrius, teſte Bodino (b), Carolo Francorum Regi hac formulâ ſe adſtrinxit: *Ego devenio vaſſallus ligius Caroli Regis Francorum, pro ratione quinquaginta ſcutorum auri, ante feſtum D. Remigii mihi ſolvendorum ann.* 1401. Et tamen nemo dubitat, pactionem illam aliud non fuiſſe, quàm ſpeciem *foederis inaequalis*, & belli quandam ſocietatem. Sic legimus apud Froſſardum (c) Robertum Comitem Namurcenſem in partes Eduardi III. Angliae Regis tranſiſſe, & ſtipendia meruiſſe trecentorum, ut loquuntur, Sterlingorum; ideoque evaſiſſe hominem ligium Regis Angliae; cùm tamen nullum ab Anglo feudum obtineret. De Philippo quoque Valeſio Galliarum, & Alfonſo Caſtellae Regibus idem Bodinus prodidit, invicem ſe vaſſallos conſtituiſſe, ideſt fidelitatem ex foedere ſanctè promiſiſſe. Tametſi non negaverim, hujuſmodi pactiones cum potentioribus initas, iniquas conditiones plerumque continere, & ſpeciem aliquam ſubjectionis praeſeferre. Robertus Andegavenſis, Carolus ejus filius (d) & Alfonſus II. Aragonius (e) Calabriae Duces, Florentinarum copiarum ductores, accepto ſtipendio, diu fuere; qua in re fidelitatis ſacramentum interceſſiſſe neceſſe eſt; quis tamen affirmabit unquam, aut eos fuiſſe vaſſallos, aut Calabriam Florentinorum feudum?

(a) *Pratejus Lex. Iurid.*

(b) *Bodin. de Republ. lib. 1.*

(c) *Froſſard. Hiſtor. lib. 1. cap. 14.*

(d) *Collenuc. Hiſtor. lib. 5. Conſtantius lib. 5.*

(e) *Albin. de geſtis Alfonſ. II.*

Quam-

Quamobrem non ſtatim libertatem dominationis amiſit Robertus Guiſcardus, quando ligium, ideſt fidelem hominem, ſe Nicolai II. Pontificis dixit; ſed id tantum fecit, ut, ſi quando opus eſſet, ſuppetias Eccleſiae mittere teneretur: unde Crantzius (*a*): *Et Guiſcardus* (inquit) *ſeſe conſtituens Romanae Eccleſiae vaſſallum, vel (quod ejus regionis verbum eſt) ligium Romano Pontifici, quaecunque peterentur praeſidia mittere, ac quando opus videretur, cum omnibus copiis afferre praeſidium ſpopondit.* Quod verò inquit Sigonius: *ditionem armis partam acceptam Pontifici relaturum* pollicitum eſſe, id potiùs pertinet ad notionem vocabuli *ligium*, quae tempore Sigonii invaluerat, & virum fefellit coeteroqui doctiſſimum: quamquam ſcire debuerat ſententiam, apud Juriſperitos (*b*) receptiſſimam, non ex eo tantùm, quòd quis dicatur ligius, ligium fieri, niſi *in re* accipiat feudum verè ligium; & propter noſtrum affirmare, vel negare non mutari ſubſtantiam rerum (*c*).

(a) *Albert. Crantz. Chron. Nortman. cap. 7.*

(b) *Bald. conſ. 291. lib. 2.*

(c) *L. aſſumtio, D. ad municip.*

XXXV. Verùm fecerit ſe Robertus ligium, prout nunc ſtrictiùs ſumitur apud Interpretes; tametſi feudum *in re* verè ligium, aut non acceperit, aut alterius ligium: non inde tamen ſequitur Regnum ipſum, ſubditos, & ſucceſſores in turpiſſimam ſervitutem adductos eſſe.

(d) *Epiſt. Decr. Greg. VII. lib. 3.*

Principio quia de ſucceſſoribus verbum quidem nullum in formula juramenti, neque apud Sigonium, ceteroſque Hiſtoricos, neque in epiſtola decretali Gregorii VII. (*d*).

(e) *L. ſtatuas in f. C. de relig. & ſump. fun. l. ſed etſi lege §. conſuluit. de hered. petit. l. in re mandata 21. C. mandati, l. nemo, C. de judic. Coraſ. lib. 7. Miſcell. 20.*

Secundò ob defectum poteſtatis. Quamquam enim unuſquiſque arbiter eſt rei ſuae (*e*), id tamen locum habet in rebus privatorum,

aut

aut Principum rebus fiſcalibus, & privati patrimonii; ſecus in Juribus Regni. Majeſtas namque *realis*, ut loquuntur Politici (a) reddit imperantes ipſi Reip. obnoxios, obſtrictione *conſervativâ*, licet non *ſubjectivâ*: unde fit, quòd cùm Princeps omnia poſſit, non poteſt tamen jura imperii alienare: hoc enim eſſet Rempublicam non augere & conſervare, ſed minuere & evertere (b), contra quàm ſui officii ratio poſtulat (c). Notanda ſunt ad hanc rem verba Abbatis Panormitani, celebris ſuâ aetate Juriſconſulti (d): *Nota primò Regem non poſſe alienationem facere de bonis, & juribus Regni: bona enim ſunt dignitatis, & non propria ipſius Regis; licet ipſe habeat juriſdictionem in adminiſtratione ipſius*: & paulo poſt: *Quia bona Regni non ſunt ipſius Regis, ſed Regalis dignitatis*. Sic quoque de jure ſuccedendi doctiſſimus Grotius inquit (e): *Succeſſio enim imperii non eſt ſub jure imperii*: & Baldus Peruſinus (f): *Regni dignitas non eſt in commercio: eſt enim legis, & naturae donum, quod cedi non poteſt*. Hac fortaſſe motus ratione Bartolus, cùm miris modis ſe torſiſſet, de donationis Conſtantinianae validitate verba faciens; tandem faſſus eſt, ſe potiùs timore, quàm veritatis vi adduci ne donationem illam refelleret. *Videte*, inquit, *nos ſumus in terris amicis Eccleſiae; & ideo dico, quod illa donatio valet*; & inferiùs: *Ex quo ſequitur, quòd Papa non habuit juriſdictionem aliquam, ſed volens favere Eccleſiae, dico, quòd illa donatio valuit* (g). Non eſt igitur habenda ratio alienationum, quae jura imperii minuunt, adeoque etiam Reipublicae, cujus eſt ſumma dominatio, quam Princeps exercet: & habendae ſunt

(a) *Beſold. Synopſ. cap. 1. n. 6.*

(b) *Clapmar. de arcan. Rerumpubl. lib. 5. c. 12. Bart. proëm. Dig. n. 13.*

(c) *Bald. l. unic. De off. Praef. praet.*

(d) *Abb. in cap. Intellecto de jurejur.*

(e) *Grot. de jur. bell. lib. 2. cap. 7. n. 27.*

(f) *Bald. conſ. 389.*

(g) *Bartol. proëm. Digeſt. n. 14.*

jure

jure naturae nullae, tanquam factae de re aliena (a). *Apud ſapientes*, (inquit Tacitus) *caſſa habentur, quae neque dari, neque accipi ſalvâ Republicâ poſſunt*. Et Poſthumius in Senatu contendebat, Pop. Romanum non teneri turpi ſponſione, quam cum Samnitibus injuſſu populi fecerant Conſules in pace Caudina, ut Livius refert (b). Quid verò magis Reipublicae exitiabile, & contra populi dignitatem, quàm mancipiorum, aut pecudum more, arbitrio Principis, alienam poteſtatem invitos ſubire, ſub qua forte cruentiſſimam tyrannidem paſſuri ſunt? quid magis à liberis capitibus alienum, quorum nullum poteſt eſſe commercium (c)? quando jure civili nec quidem libertate per fideicommiſſum relictâ, poteſt heres ſervos manumittendos alii tradere, ne ſcilicet fiant alterius liberti, quàm cujus voluit teſtator (d).

(a) *Grot. lib. 2. c. 14. n. 2.*

(b) *Livius lib. 9.*

(c) *L. 83. §. 5. l. liber homo 103. D. de verb. oblig. l. ſi emtione 34. §. 1. D. de contr. emt. l. 1. §. 9. de oblig. l. quod nullus 182. de reg. jur.*

(d) *L. generaliter 24. §. ult. & l. invitus 34. D. de fideic. libertatib.*

XXXVI. Huc facit diſtinctio, quam attulimus inter modos acquirendi ſummam poteſtatem jure gentium. Aut enim electione ſubditorum defertur, aut ſucceſſione legitimâ, aut jure belli. Electionem ſi pactiones cum ſubditis comitatae ſunt, de Republica ſarta tecta conſervanda, oportet fidem non fallere, & ea quae ſemel placuerunt ſervari (e), praecipuè à Principe (f). Si pactiones non adſint, & grati animi ratio, & Regium officium poſtulat, Reipublicae ſtatum non fieri viliorem, deterioremve: *Moderatori namque Reipublicae beata civium vita propoſita eſt*; & ut Cicero ſcribit, (g): *Ut tutela, ſic procuratio Reipublicae ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt, gerenda eſt*: & alibi: *Nihil aliud eſt imperium,*

(e) *L. 1. D. de pactis, l. non minorem 20. C. de tranſac.*

(f) *L. inter claras C. de ſumm. Trinit. Plutarch. in Eumene.*

(g) *Cic. 1. officior.*

ut ſapientes definiunt, quàm cura ſalutis alienae. Eodem igitur modo, quo ad tutorem ſpectat rem pupilli ſalvam facere, non perdere *(a)*; & ad eos, qui curam aliorum gerunt, eniti, ut ipſorum patrimonia, decus, felicitaſque augeatur; ita & Princeps ſubditorum beatitati conſulere, dareque operam debet, nequid Reſpublica, ejus tutelae commiſſa *(b)*, detrimenti capiat; quin ejus augere dignitatem, amplitudinemque. Accedit, quod à ſubditis non videtur electum nudum, & inane nomen Principis (quod alicubi eſt arcanum dominationis Ariſtocraticae) ſed induſtria, fortitudo, & ſolertia perſonae; quâ pro ſalute ceterorum laborante, cives tranquillè, beatèque vivant. Nedum igitur abuteretur eâ poteſtate, ſummam dominationem in alium transferendo; ſed & peculiari quodam flagitio voluntatem ſubditorum fruſtraretur, quos ex liberis faceret alii obnoxios, & vectigales.

(a) *L. tutor 27. D. de admin. tutor. l. 3. §. ſi tutor D. pro emt. l. interdum 56. §. penult. D. furt.*

(b) *L. 3. C. de jure Reip.*

(c) *Hobbes de cive tit. Imperium Grot. lib. 1. c. 3. n. 10.*

(d) *Vid. Caſtil. de jure Repraeſentat. lib. 3. cap. 19. nu. 117. & 118.*

(e) *Duaren. conſuet. feud. cap. 11. nu. 9. Bodin. de Rep. lib. 1. c. 8.*

(f) *Mierez de Majorat. qu. 1. par. 4. num. 127. Valenzuela conſ. 198. nu. 2. In eandem ſententiam ſcribunt Oldrad. conſ. 231. Bal. in proëmio feud. nu. 32. gloſſ. in l. ſi movetur 4. C. ſi ſervus export. vend. Lanarius conſ. 1. nu. 12. Montan. in praelud. de Regalib.*

XXXVII. Aut Regnum delatum eſt ſucceſſione: & tunc praeter tacitam ſubditorum voluntatem, qui videntur certam familiam ſibi praepoſuiſſe *(c)*, ut ex ea prognati Rempublicam adminiſtrent, & non alii; cogitandum eſt, ſucceſſores, qui non tanquam heredes veniunt, ſed tanquam agnati proprio jure *(d)*, ratam alienationem habere cogi non poſſe: eodem ferme modo, quo in jurepatronatus, per Romanorum leges, filius ſuccedit tanquam unus ex liberis, non tanquam heres *(e)*. Appoſitè rationem reddit Mierez *(f)*: *Quia cum Regna* (inquit) *habeant jura ſanguinis, & in illis ſuccedant primis Regibus, qui Regnum habuerunt, non autem ultimò morientibus; nihil in praejudicium*

ſuc-

ſucceſſorum diſponere poſſunt, nec Regiae dignitatis, & bonorum, & reddituum Regni aliquid diminuere valent, nec alienando, nec contrahendo, nec donando, nec relinquendo, nec aliquo quolibet modo; nec poſſunt ſucceſſoribus alio quovis modo praejudicium inferre.

XXXVII. Aut armis Regna ſunt parta; &, cùm priorum ſubditorum laboribus, periculis, ſanguine id factum ſit; admodum rationi eſt conſentaneum; ut nonniſi eorum conſilio, placito, & conſenſu alienari poſſint (a). Hinc ajebat Ferdinandus Aragonum Rex, dum Fridericum ejicere Regno Neapolitano in animum induceret ſuum, non potuiſſe Alphonſum I. Ferdinandum filium nothum ſucceſſorem ſibi facere in ea ditione, quam, licet armis, viribus tamen, opibus, & ſanguine Tarraconenſium redegerat in poteſtatem.

(a) *Hottom. quaeſt. Illuſtr. 1. arg. l. 1. C. de comm. rei alien. l. ſi in re communi 19. D. de noxal. action.*

Et meo quidem judicio illud non leve eſt argumentum, ab aliis hac in re praetermiſſum, quòd, cùm Princeps ſit veluti tutor, & adminiſtrator Reipublicae, quae pupillae loco habetur (b), & cujus eſt publicum aerarium, à fiſco, & à patrimonio rei privatae diverſum (c); valde contra aequitatem videtur, ex pecunia publici aerarii Regna ſibi comparare, privato jure deinceps poſſidenda, & pro voluntate in alios transferenda. Nam quod Grotius ait (d) quemadmodum dotis fructus fiunt mariti, licet ipſius dotis ſit nudus adminiſtrator, ita proventus publici aerarii eſſe in pleno dominio, & proprietate regentis; quos ubi impendat in uſum belli, faciat ſua proprietatis jure quaecumque acquiſiverit; vereor ne non fallatur do-

(b) *L. 3. Cod. de jur. Reip. lib. XI. Choppin. de Dom. Franc. lib. 2. tit. 1. Mierez de Majorat. p. 4. q. 1. nu. 230.*

(c) *L. inter publica 12. l. bona 15. de verbor. ſignif. l. ſed Celſus. De contr. emt. Gloſ. ad l. uſucap. 19. D. de uſucap. & ad tit. de jur. fiſci, l. ult. de jur. civit. C. lib. XI.*

(d) *Grot. de jur. bell. lib. 1. c. 3.*

ctiſſimus vir, neque ſatis animadvertat, quantum dos à publico aerario diſtet. Dotem enim ipſam eſſe in viri *dominio civili* ſcimus(*a*), ex titulo oneroſo; ut nempe uxorem ipſam, liberoſque ex ea ſuſcipiendos ſubſtentare poſſit; ideoque, veluti compenſatione quadam pecuniae in dies erogandae, facere fructus ſuos. Atqui Princeps, qui Reipublicae cauſsâ conſtitutus eſt, jure gentium; & cui tributa ſolvuntur, non ut ex publica inopia, calamitateque diteſcat, aut ut in privatum penu reponat quod in uſum Reipublicae aliquando erogavit; (quis enim Regum, poſt Romanos Imperatores, qui ex privata fortuna, furore magis an conſilio militum, ad regimen vocabantur, privatam rem habuit adeò locupletem, ut pro ſalute, incolumitateque civium aliquid momenti afferret?) ſed ut ſint nervi ipſius Reipublicae, & ejus commodis aſſerventur, praeter pauca quaedam pro Magiſtratuum ſubſtentatione, aut pro dignitatis Regiae ornamentis inſumenda; Princeps, inquam, vicem ſubit nudi adminiſtratoris, cui neque alienandi poteſtas permiſſa intelligitur (*b*), neque obolum quidem in privatos uſus convertendi: *Si quis rem mandatam* (ait Cicero(*c*)) *non modò malitioſiùs geſſiſſet, ſui quaeſtus aut commodi cauſsâ, verùm etiam negligentiùs; eum majores ſummum admiſiſſe dedecus exiſtimabant: itaque mandati conſtitutum eſt judicium, non minus turpe, quàm furti.* Quamobrem Plinius in Panaegyrico Trajani, *At fortaſſe* (inquit) *non eadem ſeveritate fiſcum, qua aerarium cohibes? Immo tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo, quàm de publico credis.* Publicum erat aerarium, Imperatoris Fiſcum. Pla-

(a) *L. pen. C. de jure dotium.*

(b) *L. contra 27. D. de pact. l. ait Prætor §. 8. l. ſi res pupillaris 49. D. de minor. l. in eos, de tutelis, l. ult. C. ſi adverſ. vend. Menoch. remed. recup. poſſeſſ. 9. nu. 106.*

(c) *Cic. pro Sex. Roſc. Amerino.*

Planum hinc fit, quandocunque Princeps tributa ſubditorum, publicique aerarii vires in uſus externi belli conſumit, nihilo magis facere acquiſitas res ſibi proprias, & *patrimoniales*, ut loquuntur Politici, ac tutor, vel quilibet alius adminiſtrator, qui ex fructibus hereditariis pupilli agrum, gregem, inſulam emeret (*a*).

(a) *L. qui fundum, §. ſi tutor. D. pro emt.*

Verùm, inquit idem Grotius, non capita libera civium alienantur, ſed jus imperandi capitibus liberis. Pace tanti viri dixerim: eò minus alienari poteſt, quò magis eſt ſanctum, auguſtumque. Et, cùm divino (*b*), humanoque jure ſancitum ſit, ut in vitas fortunaſque civium vim ſuam exerat; haud quaquam video, quantum diſtet alienatio juris imperandi ab alienatione liberorum capitum, quae civitatem conſtituunt. Ad haec quae ſunt divini juris aut publici in nullius bonis ſunt (*c*), ut inquit Cajus: publici verò juris eſt ſumma dominatio: nullius igitur in bonis eſt: ideoque neque eſſe in commercio, neque ſeparari ab imperante poteſt (*d*). Qua ratione ductus Bodinus ſcribit, privilegium alicui conceſſum à Principe, ut liceat condemnatum reſtituere, aut à poena liberare, nullius eſſe momenti; cùm ſit poteſtas, quae ad ſolam majeſtatem ſummi imperantis ſpectat (*e*).

(b) *Reg. 1.*

(c) *L. 1. de rer. divis.*

(d) *Arg. l. cum ſervus, §. conſtat. de leg. 1. l. ult. D. ut in poſſeſſ. legat. l. omnes fundi C. de fund. patrim. DD. apud Bodin. de Rep. lib. 1. cap. X. & ult.*

(e) *L. ante damnum in f. l. relegati, l. ad beſtias, D. de poenis.*

Licet verò armis parentur quandoque Regna, legitimum nihilominus dominationis jus à ſubditorum pendet voluntate, ſive libera, ſive coacta, ut in ſuperioribus demonſtravimus: quare ſubditorum quoque requiri voluntatem, ut in alium legitimè transferatur, neceſſe eſt. Iiſdem enim modis res diſſolvuntur, quibus ſunt conſtitutae (*f*), juxta Juriſconſultorum,

(f) *L. nihil tam naturale 35. de reg. jur. l. omnia 100. l. fere 153. ibid. l. quamvis 46. D. de acqu. poſſ.*

Phi-

Philoſophorum placitum. Unde Syneſius in Orat. de Regno τοῖς γὰρ ἐναντίοις τῶν σωζόντων ἕκαστον φθείρεται, *unumquodque corrumpunt contraria iis, à quibus eſt conſtitutum* (a).

(a) *Vide* J. Gothofred. *ad d. l. nihil. de reg. jur.*

XXXIX. Circa exempla, quae plurima adverſus hanc ſententiam afferri poſſent, ab Hottomano, Grotio, Arniſaeo, & aliis enumerata, minime nobis eſt inſudandum: quando ex iis, quae hactenus diſſeruimus facilè animadverti poteſt, aut vitandi majoris mali cauſsâ, neceſſitateque cogente accidiſſe; aut cùm impares ad repugnandum ſubditi extitere; aut cùm, ipſis quoque annuentibus, totum negotium jure perfectum eſt. Omnia fere, quae occurrunt in Hiſtoriarum monumentis, cum triplici hac ratione conveniunt (*b*): minime enim Reges cenſemus, aut nonniſi nomine tenus eos, qui clientelari jure à quopiam ita Regna acceperunt (ſed re, non verbis) ut quaſi domini fiduciarii, reverentiam, & ſubjectionem ſummo imperanti deberent.

(b) *Vid. Arniſaeum, C. 1. de poteſtate Majeſt. in bona privatorum.*

XL. Poſito igitur, quòd Roberti Guiſcardi mens fuerit, ſummum imperium in Nicolaum II., & Gregorium VII. alienandi; adhuc alienationem illam nullam ipſo, ut ajunt, jure irritamque fuiſſe liquet. Quî igitur Regnum Pontifici obnoxium exinde factum eſt? & cur ſucceſſores miſeris modis vexare, qui alienationem apprimè Reipubl. calamitoſam ratam habere (*c*) non tenebantur? immo cur negotium faceſſere Principibus, ad quos ſucceſſione pervenit, & quidem ab iis, qui belli quoque jure, haud ſecus ac Guiſcardus, in poteſtatem redegerunt; & pravâ potiùs conſuetudine, quàm con-

(c) *Arg. l. peto, §. frater de leg. 2. l. omnes fundi, C. de fund. patrim. lib. XI. l. 2. C. de apparitor. Proconſ. legat. lib. XII. l. 2. C. de fund. limitaneis lib. XII.*

consilio inducti, Investituram ab Ecclesia petiverunt? Equidem certo certius est successores Regum nullo pacto sponsionibus decessorum, etiam validis, esse obnoxios, (a) quando vergunt in detrimentum Reip., & agitur de iis rebus alienandis, absque populi consensu expressio, quae Regiae dignitati sunt annexa, & alienata Principis Majestatem minuunt. Vnde Coccinus ait: (b) *Nec obstat, ut Lupoldus inquit, si aliqui Reges Imperium receperint in feudum, vel suis litteris in feudum recognoverunt à Papa: hujusmodi namque submissiones si per aliquos ex Regibus sunt factae, nec imperio, nec principibus, & imperio subditis aliquod debent generare praejudicium; cùm in hujusmodi submissionibus consensus Principum Electorum, & aliorum Principum, & populi imperio subditorum sit requirendus.* Mox subdit: *Quando per aliquod factum praejudicatur pluribus, id per omnes illos comprobari debet; & id quidem videtur esse de jure gentium, l. omnes populi, D. de justitia, & jure* (c). Ligium Ecclesiae hominem se dixit Robertus. Esto. Et ex successoribus fere omnes. Etiam. Sit obligatio illa personis eorum damnosa, ne fidem semel datam quispiam fallat (d); non fuerit nulla ipso jure; serveturin vim pacti personalis; negemus etiam ipsis in integrum restitutionem, tanquam minoribus debitam, praecipuè quando sibi detrahebant de jure Majestatis (e): quis tamen justi honestique tenax somniavit unquam, posse successorem cogi ad ea praestanda, quae aut oscitanter, aut per favorem certae causae à decessoribus promissa sunt? (f) Quis imponet necessitatem donationes immodicas non revocandi, & quae

(a) *Arg. c. 1. de rer. permut. C. non liceat 12. qu. 1. Papon. Arrest. lib. 5. tit. 10.*

(b) *Coccin. de transl. Imper.*

(c) *C. innotuit. de Elect. Confer. quae supra n. XXXIV.*

(d) *L. inter claras, C. de Summ. Trin.*

(e) *L. Resp. C. quibus ex caus. majores.*

(f) *C. Quod gratis de reg. jur. in 6. cum Concord.*

Rei-

Reipublicae fundamenta convellunt? Liberalitates nimias Neronis, praeter decimam partem, Galba revocavit (a). Caroli VI. Galliarum Regis largitiones à praefectis aerarii fuerunt repetitae (b), & à Carolo VIII. Ludovici patris (c) donationes ſuperfluae. Quin Matthias Hungariae Rex, rogatu populi, irritas facere donationes immodicas Ladislai coactus eſt (d). Et *juſtiſſimum fuit* (verbis utar Taciti (e) *hoc inde repeti, unde inopiae cauſſa erat* (f). Et quam demum donationem vocabimus immodicam, ſi haec immodica non eſt, quae non pagum, aut urbem, non proventus Provinciae, non jura pauca regalia (g); ſed jus ipſum imperii, quo majus, & auguſtius in terris nihil excogitari poteſt (h) in alium conatur transferre?

Rectè igitur, & pro dignitate cùm Reip., tum ſua facit quiſquis alienationem adeò turpem, ac perniciosam caſſam, & nullam habet. Rectè fecerunt Angli, qui ſubjectionem, à Johanne Rege Pontifici praeſtitam, ratam non habuere (i): rectè Scoti, qui viciſſim Jo: Ballioli ad Regem Angliæ nihili reputârunt (k). Nam cùm ageretur de damno plurium (l), nec de levi aliquo tantùm damno, ſed de capite, de fortunis, de libertate; (m) omnium requirebatur conſenſus, ut juſta obligatio exinde naſceretur.

XLI. Nec fucum nobis facit juramentum, quod in hujuſmodi alienationibus intervenire ſolet: etenim juramentum ipſo jure eſt irritum, & nullum propter ſummum incommodum (n) prae-

(a) *Sveton. in Galba c.15.*

(b) *Paul. Aemil. lib.9*

(c) *Belleforeſt. biſtor. lib.5.*

(d) *Bonfin. Decad.4. lib.7.*

(e) *Tacit.4.Hiſtor.*

(f) *Vid. Connan. lib. 1. Comment.jur. Civil.*

(g) *Covarruv. part. 2. Relect. Peregr. de jur. fiſci. DD. in c. fraternitatem, & cap. paſtoralis. de donationibus.*

(h) *Cravett.conſ.894 n.5.*

(i) *Smith.Reip.Angl. lib.1.c.9.*

(k) *Buchanan.Hiſt. Scot. in Balliolo. apud Arniſaeum. De poteſt. Majeſt. in bona privatorum cap.1.*

(l) *L.in concedendo, D. de aqu. pluv. arc.C.ad haec, §. fin.De off. Archid.*

(m) *L.1.& 2.D.de liberal.cauſ. l.non tamen. D. de appell. C. fin. extr. de major.& obed. Gloſ. ad c.auditis De praeſcription.*

(n) *C. intellecto. De jurejur. ibiq. Bart. l.non dubium, D. de legib. c.licet 12.q.1. c.quodvis commiſit 35.qu.9.c. Abbate ſane.De re judic. in 6. c. pervenit. De jurejur. Felin. in c. audientiam Extr. de praeſcript.*

praecipuè quando minuit majeſtatem Principis, & ſalutem publicam convellit(a). Lyſias in Oratione adverſus Eratoſthenem καὶ πάνυ, inquit, ὄρκους, εἰ ἐσωφρόνουν, οὐκ ἂν ἐπὶ μὲν τοῖς τῶν πολιτῶν κακοῖς πιστοὺς ἐνόμιζον, ἐπὶ δὲ τοῖς τῆς πόλεως ἀγαθοῖς ῥαδίως παρεῖναι: *& ſi ſaperent, juramenta, quae ſunt civibus damno, rata non haberent, ſed facilè pro Reip. commodis violarent.* Unde Honorius III. ad Epiſcopum Coloſſenſem ſcribens: *Intellecto jamdudum* (inquit) *quòd cariſſimus in Chriſto filius noſter Hungariae Rex illuſtris alienationes quaſdam fecerit in praejudicium Regni ſui, & contra Regis honorem: nos eidem Regi dirigimus ſcripta noſtra, ut alienationes praedictas, non obſtante juramento, ſi quod fecit, de non revocandis iiſdem, ſtudeat revocare(b).* Nec ſine probabili quadam ratione: in juramento enim non intelligitur promiſſum, quod eſt inhoneſtum (c); inhoneſtum verò dicitur quodcumque eſt contra ſalutem patriae.

(a) *C. quamvis, ubi Gloſſ. de pactis in 6. DD. in l. juris-gentium, D. de pactis.*

(b) *d. c. Intellecto.*

(c) *C. non eſt obligatorium, ubi DD. de reg. jur. in 6. l. non dubium, C. de legib. Grot. de jur. bell. lib. 2. cap. 13. n. 6. Gail. de Pace publica lib. 1. c. 4. §. 16. L. alia cauſa, §. 2. D. ſolut. Matrim.*

XLII. Multò minus quod inquiunt, in Eccleſiam poſſe fieri donationem, quamquam invitis ſubditis, ut quidam ſupini DD. autumant(d). Nam *Eccleſia, cultrix & auctrix juſtitiae, non patitur contra juſtitiam aliquid fieri in ſe, vel in alterum* (e), nec debet cum aliena jactura locupletari (f): & Reſp. eodem favore gaudet, ac Eccleſia (g), quoniam disjunctae conſiſtere nequeunt: unde conſequitur, quòd, ſtantibus iiſdem privilegiis, (ſi qui forte dari poſſunt contra jus gentium) haud magis unius favor reſpiciendus eſt, quàm alterius.

(d) *Apud Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 6. caſ. 559. n. 10.*

(e) *C. 1. de alienat. feud.*

(f) *C. ex tenore. De foro compet.*

(g) *Novell. 120. c. 1. Novell. 7. c. 2.*

Horum principiorum ignoratione factum eſt, ut barbari noſtri leguleji, eò favorem Ecc-

cleſiae per ſpeciem pietatis protulerint, ut invitos quotidie cogant dominos vendere fundos & aedes, templis & monaſteriis adjacentes; quò, non dicam templa fiant auguſtiora (eſſet enim hoc fortaſſe ferendum) ſed aeditui, & monachi laxiùs habitent, ampliſſimas porticus, hortos penſiles, viridaria, piſcinas, coenacula pene Regia, & domos habeant urbibus pares: cives interim, à quibus Reip. ſalus pendet, aut in ſordidioribus humilioribuſque vicis degant, honeſtiſſimis vitae oblectamentis carentes; aut extra pomoerium, impediti ſſimis quidem in locis, & quibus craſſior aër ſecuritatem à monachis praeſtat, ſuas deliciolas, & nec quidem curis vacui, habeant. Sed aliis hanc provinciam integram relinquimus; non enim noſtri inſtituti ratio poſtulat in his diutiùs immorari.

XLIII. Ejuſdem momenti eſt & illud, quod ingerere poſſet aliquis, Nortmannos ex privata eorum pecunia delectus habuiſſe; Saracenos, & Graecos profligaſſe; Apuliamque, & Calabriam imperata facere coëgiſſe: quamobrem, ſecundum tradita à Grotio aliiſque, Regnum ſibi conſtituerunt *patrimoniale*, & alienabile; nec voluntati, aut juri aliorum, quos fortaſſe habebant, ſubditorum obnoxium.

Nae quantum ridiculi ſunt, qui haec obganniunt. Negant ſubditorum opibus, & aerario alterius Reip. has regiones à Nortmannis fuiſſe ſubactas, ut vim noſtrorum argumentorum effugiant; ſed

Dum vitant ſtulti vitia in contraria currunt.

Nimirum affirmant potuiſſe, unquam fieri, ut

qui

qui ſummam poteſtatem nullibi gentium habebant, *juſtum bellum* proprio milite, & armis ſuſciperent (a). Hoc quid eſt, niſi ex praedonibus facere Principes? ex latrociniis bella? Quid, niſi privatae fortunae homines ad capeſſendam tyrrannidem invitare? Sed neque illud verum eſt, propriam pecuniam in conſcribendo milite erogâſſe: etenim conſtat apud Hiſtoricos (b) paucos admodum numero ad has oras appuliſſe Nortmannos, patriâ extorres, & re domi anguſtâ ſolum vertere coactos; Salernitanique Principis Guaimari ſtipendiis, & gratiâ paullatim florentes, cum perduellibus Appulis adversûs Graecos conſilia, & vires communicâſſe: unde omnis potentiae, & Regiae tandem amplitudinis principium, & fons. Multumque à vero aberrat hac in re Baptiſta Platina (c), qui Guilielmum Ferrabrachium ſcribit XL. Nortmannorum millia, ab expeditione Hieroſolymitana redeuntium, ſibi adjunxiſſe; & per ſpeciem ulciſcendae injuriae, à Molocho Catapano acceptae, qui ſancitum foedus de ditione Sicilienſi dividunda violaverat, Apuliae, Calabriaeque potitum eſſe. Quî verò poterant propriâ pecuniâ exercitum comparare homines ſine lare, ſine foco, nulliſq; certis ſedibus? qui mercenariam trahebant vitam? Annon potiùs credendum eſt, principiò parvae ditionis opibus, quam à Guaimaro acceperant; oppidanorumque operâ, quos ad pericula ſubeunda ſocios magis, quàm ſubditos, praedae dulcedo illexerat; parva geſſiſſe ſive bella, ſive latrocinia; deinde, paullatim blandiente fortunâ, rebuſque proſperè ſuccedentibus, in eam excreviſſe potentiam, ut co-

(a) *Vide ſuperiùs n. IV.*

(b) *Colle. lib. 3. Guicciardin. lib. 1.*

(c) *Platin. in Serg. IV.*

pias ſociali foedere conjungere cum Graecis poſſent? Pauciores itaque primi illi ſubditi jus habuere in primos victoriae fructus; deinde alii, qui in unum corpus Reip. ſenſim coaluerunt, in ceteros. Quocumque igitur ſe demum vertant adverſarii, nunquam, ſalvâ aequitate, & jure gentium, jus dominationis in alium transferre Principes noſtri potuere; nec Regno, ſubditis, & ſucceſſoribus eſſe detrimento: ſed prout quiſque eorum *inveſtiri* ſe paſſus eſt à Pontifice, & *ligium hominem* ſe fecit, nullum accipiens feudum *inre*; ita, ſacramenti praeſtiti ratione, ſubſidia pro re nata mittere, & fidelem ſe Eccleſiae Romanae praebere aequum fuit, nullâ ex hoc feudi naturâ Regno adhaerente. Etenim tametſi, recepto jure, bona quaecumque habet vaſſallus ſubdantur juriſdictioni domini; id tamen intelligendum eſt de iis, quorum proprietas, & plenum dominium ad vaſſallum pertinet. Atqui *jus dominationis* hujuſmodi non eſſe ex ſuperioribus fit manifeſtum: ac praeterea tota ejus vis, & ratio in eo conſiſtit, ne alii obſequatur; nam contra non eſſet ſummum. Et quamquam is, qui ſummum imperium obtinet, poſſit alterius fieri vaſſallus, vel propter foedus quod vocant inaequale, vel propter feudum alibi fortaſſe ſitum; Reſpublica tamen, à qua ſummum illud imperium habet, feudum idcirco non fit, nec ob certa crimina Principi adimi poteſt, nec familiâ extinctâ devolvi, ut loquuntur feudiſtae. Paucis hanc diſtinctionem obligationis perſonalis, & *juris in rem* tetigit clariſſimus Grotius (a) in aureis ſuis libris de Jure belli, & pacis.

(a) *Grot. de jur. belli, & pacis lib. 1. cap. 3. in fin.*

XLIV. Sed

XLIV. Sed his ſimilibuſque rationibus ſtupidiores quidam non acquieſcunt. Clamant, non eſſe metienda jura ſummae Sedis Hiſtoricorum narrationibus, aut placitis Juriſconſultorum: malè nos de Religione,& de Eccleſia mereri,qui poſſeſſionem adeo diuturnam ad incudem revocamus: ſatis ſuperque dominationi Pontificis conſultum eſſe, ſi vel ſemel Neapolitanos Principes faſces Eccleſiae ſubmiſiſſe concedamus. Nugae nugarum. Scilicet iſtud eſt rectâ cum ratione inſanire: immo aequitati, juſtitiaeque utilitatem, & commodum anteferre. Iſtud eſt confugere ad aſyla, ubi virium ſatis non ſupereſt ad magiſtratus eludendos. Iſtud eſt, dicam clariùs, ſolitum ignorantiae, & iniquitatis perfugium, pietatem, ſanctitatemque obtendere; in ſuſpicionem haereſeos apud vulgus vocare; accuſationem atrociſſimam de deſerta religione majorum inſtituere; obniti ne ſuperſtitioni larva detrahatur.

Actum eſſet de cunctis Europae Regnis, ſi ſervitutem ideo effugere non poſſent, quia ſemel eorum Principes, auxilii dandi vel petendi cauſsâ, Pontificis amicitiam, cum quodam obſequio & reverentia Sacerdotii, coluere; aut quia Pontifices, occaſione quavis arreptâ, alienas ditiones ad Eccleſiam pertinere pronunciarunt. Nedum Neapolis, & Sicilia, Corſica, Sardinia, Hiſpania Tarraconenſis, Anglia, Scotia, Hungaria, & Polonia; ſed ipſae Galliae, Imperium ipſum intolerando miſerrimae ſervitutis onere premerentur. Sed inventi ſunt, qui contra non modò hiſcere, ſed reſiſtere,ſalvâ Religione & ſummi Sacerdotii reverentiâ, auderent;

derent ; nec ſemper quod à Romana Curia tentatum eſt, ex voto ceſſit.

XLV. Quid aliud fuit Zachariae factum, quàm quòd, conſulentibus Galliae proceribus de imperio Childerici abrogando, deferendum eſſe Pipino cenſuit ; *idque quod fieri vix poſſe videbatur, ſacroſanctâ auctoritate ſuâ juſtum effecit* ? (a) ut inquit Sigonius. Et quonam tempore ? Eo quidem tempore, quo Pontifices annum Imperii Graeci in Bullis apponebant. Ita enim habent ipſius Zachariae litterae ad Gallos : *Data pridie Nonas Nov. imperante Domino piiſſimo Auguſto Conſtantino Imp. Imperii ejus anno XXXIII. Indictione V.* ut eſt apud Eginhartum (b) antiquiſſimum ſcriptorem, & Caroli M. familiarem, & Cancellarium, teſte Trithemio (c). Atqui hoc ipſum, quod fuit conſilii non poteſtatis, ad ſummum in Gallias jus trahere conati ſunt, primùm Hadrianus Papa II. ; qui, quum mortuo Lothario Galli Carolum cognomento Calvum Regem creaſſent, ſcripſit ad Hincmarum Epiſcopum Remenſem, jubens, deſignatum Regem Eccleſiaſticâ communione interdici, aliumque in ejus locum eligi : ad quae Ordines Regni reſponderunt : nunquam tale quid à Pontifice Romano ad Galliae Epiſcopos miſſum fuiſſe : *Reges Galliae naſci, non eligi ſolere* (d). Deinceps Bonifacius VIII. Philippum Pulchrum Regno exciſum pronunciavit, quòd Epiſcopum Apamenſem, ad ſuſcipiendam Hieroſolymitanam expeditionem nimis audacter urgentem, in vincula conjeciſſet (e). Quid exinde ſequutum ſit, quae epiſtolae utrinque miſſae, invidioſum eſſet hìc referre (f) : ſed Bonifacium debitae lau-

(a) *Sigon. de Regn. Ital. lib. 3. Blond. lib. X. Decad. I. Ado Viennenſ. Chron. ann. 749. Paul. Aemil. lib. 2. Trithem. comp. Annal. lib. 2. & alii.*

(b) *Eginhart. in vit. Caroli M.*

(c) *Bellarmin. de transl. Imp. adv. Flaccium lib. 1. cap. 4.*

(d) *Hippolyt. à Collibus in Principe cap. 2. ex Frid. I. Imp. diplomate.*

(e) *Platin. in Bonif. VIII.*

(f) *C. unam ſanctam Extr. de Majorit. & obed. Paul. Aemil. lib. 3. Ivo Carnut. ep. 134. Paſquier Recherches de la France cap. 11.*

des

des ſecutae ſunt apud Platinam: *Moritur autem hoc modo* (inquit) *Bonifacius ille, qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibus, populis terrorem potius, quam Religionem injicere conabatur; quique* dare Regna, & auferre, *pellere homines, ac reducere pro arbitrio animi conabatur*. Equidem ipſe Bonifacius Jacobo Aragonio *inveſtituram* Regni Sardiniae largitus eſt (*a*), quam neſcio an hodie qui poſſident ab Eccleſia Romana habere putent.

(a) *Collenuc. Hiſtor. lib. 5.*

Benedicti XIII. Bullae, & Legati ridiculè excepti ſunt à Carolo VI., monentibus Univerſitate, & Senatu Pariſienſi (*b*). Uti & Gregorii XIV. Bullae ſunt ab Henrico II. in conventu Parium ludibrio habitae, & igne crematae, quòd dominationem in Gallos affectarent (*c*); qui Innocentii III. reſcriptum quoque opponebant, nemini ſubditum eſſe Galliarum Regem, (*d*) & Clementis V., qui irritam ipſe facere videri voluit ſententiam Bonifacii VIII. (*e*) idem Regnum ſibi ſubjicientis.

(b) *Theod. Nihem. Hiſt. lib. 11. 6. Papon. Arreſt. lib. 1. tit. 5. art. 27. Paſquier. Recher. lib. 3. cap. 12.*

(c) *Arreſt. de Tours, & de Chaalons.*

(d) *Innocent. in cap. per venerabilem, qui fil. ſint legit.*

Regnum quoque Aragonum Carolo Valeſio, Philippi Galliae Regis filio, in feudum legimus conceſſum à Martino IV.; diris devoto Petro Rege, qui ſingulare certamen cum Carolo II. Andegavenſe detrectaverat (*f*). Et cur tantum ſibi ſumebat Martinus? Quia Aragonaei Reges fidelitatem, & cenſum Eccleſiae juraverant. Cogitationem hanc jamdiu Pontifices abjecere.

(e) *C. meruit extr. de de privilegiis.*

(f) *Collenuc. lib. 5. Paul. Aemil. lib. 4. Blond. & c.*

Nec minus eodem ſydere afflati Angli: nam Johannes Rex, cùm propriis viribus Regnum adverſus ſubditos perduelles retinere non poſſet, ad Eccleſiam converſus eſt; & coronam, è

ca-

capite detractam, reponi ſibi à Pandulfo Apoſtolico Legato curavit (a). Polydorus Virgilius auctor eſt, factum id fuiſſe pro perſona, non pro poſteritate: ſed Pontifices perpetuae ſubjectionis loco acceperunt; licet propter ſubditorum diſſenſum rata haberi non poſſet, nec ullus Regum Inveſtituram petierit, aut pecuniam vectigalem ſolverit (b). Quidni? cùm inter cauſſas abdicationis Richardi II. hanc potiſſimam praetexerent Angli, quòd ad Papae ſubſidium confugiſſet, quando ipſi nullum in terris, praeter Regem, ſuperiorem agnoſcebant.

(a) *Blond. lib. 6. Dec. 2. D. Anton. Flor. hiſt. par. 3. tit. 9. Polydor. Virg. hiſt. Angl. lib. 15.*

(b) *Smith. lib. 1. de Rep. Angl. c. 9.*

Scoti etiam ab Eduardo I. preſſi, ut aliquo ſaltem effugio praeſentis periculi vim amoverent, in fidem Eccleſiae Regnum depoſuerunt. Sed Angli, à Pontifice moniti, ceſſarent bello laceſſere Scotos, qui ſe Eccleſiae dedidiſſent; reſponderunt, non potuiſſe Scotos ab Eccleſia recipi in patrimonium, qui jamdiu ſubditi erant, & vaſſalli Regis Angliae. Eccleſiae verò non convenire ſubditos Principibus ſuis ſubtrahere, aut cum aliena jactura diteſcere (c).

(c) *Weſtmonaſterienſis in Eduard. I.*

Sic Imperium Romano-Germanicum penè inter feuda Eccleſiae numeratum eſt, propter Carolum M., à Leone III. vix coronatum (d), & Othonis Primi jusjurandum, de ope Johanni XIII. Pontifici contra Berengarium ferenda (e). Hinc turbae excitatae inter Hadrianum IV. & Fridericum I.; hinc tot Caeſarum abdicationes, tot bella, tot caedes, maximo cum Reipublicae Chriſtianae offenſione fluxerunt. Sed vicit tandem veritas: & penes Principes Electores eſſe poteſtatem eligendi, etiam quem noluerit Pontifex, nemo eſt qui dubitet.

(d) *Innoc. III. in cap. venerabilem de elect. C. Romani Clement. de jurejur. Gloſ. in c. in apibus 7. qu. 1. Bellarm. lib. 5. de Roman. Pontific. cap. 8. Marian. Scot. in Chron.*

(e) *Sigon. lib. 6. Gloſſ. in c. tibi Domino diſt. 63. Gloſſ. in cap. unic. de form. fidelitatis.*

Ad

Ad Antipodas quoque amandatâ poteſtate illâ indirectâ Bellarmini (*b*), Regum abrogandorum propter tyrannidem, & ſcelera; poſtquam clariſſimi Juriſconſulti (*c*) nervosè admodum demonſtrârunt, quà exemplis, quà S. Script. teſtimoniis, poſſe tunc Principes ab Eccleſia quidem arceri, non à Republica (*d*).

(a) *Bellarmin. de transl. Imp. adv. Matthiam Flacium Illyricum.*

(b) *Barclajus contr. Monarchomach.*

(c) *Confer quae diximus num. IX. Barcl. cont. Monarchom.*

XLVI. Facta eſt ſuperiùs mentio de longâ, diuturnaque poſſeſſione Pontificum inveſtiendi Neapolitanorum Reges. Operae igitur pretium erit & de poſſeſſione quoque pauca dicere, quam putant Achillem argumentorum Romanae Curiae, ad Conſtantinianam etiam urbis Romae donationem tuendam à quibuſdam excogitatum (*e*). Sed mihi videor videre Briſeïda potiùs, quàm Achillem, aut Achillem quidem, ſed interfectum. Ajunt nimirum adverſarii, Romanos Pontifices, longâ ſex ferè ſaeculorum conſuetudine concedendi Inveſtituram, dominationis ſummum jus Principibus noſtris praeſcripſiſſe; & poſſeſſorio veluti edicto adverſus Neapolitanos nunc excipere, qui ſerò ſapiunt, & apud tribunal univerſi generis humani liberali cauſsâ ſe aſſerunt, atque proclamant ad libertatem.

(d) *Raphaël. Fulgoſ. proëm. Dig. ver. n. 15.*

O callidos homines, ò rem expeditam, ò ingenia metuenda: ſcilicet jam viciſtis: dicite *Jô triumphe*. Ubi eſt aureus currus? ubi haſtae puraе? ubi coronae laureae, querneae, gramineae? nam deferendi omnino eſtis in Capitolium, pulcherrimisque donis ornandi. Immo plaudite manibus ſpectatores optumi. Vel Timoni τῷ μισανθρώπῳ riſum excuſſiſſent hi mimi peregregii. Ecquis neſcit (bone Deus) Proculi Juriſcon-

risconsulti responsum: *Non tam spectandum quod antea factum sit, quàm id, quod fieri debuit?* (a), & illud Celsi: *Quod non ratione introductum est, sed errore primùm, deinde consuetudine in aliis similibus non obtinere* (b)? Audiamus Demosthenem: Σὺ μὴ λέγε, ὡς γέγονε τοῦτο πολλάκις, ἀλλ' ὡς οὕτω προσήκει γίγνεσθαι: *Noli dicere, quòd factum sit hoc saepe, sed quòd sic oportuerit fieri* (c). Sed sint haec mera sapientum somnia. Faciamus etiam nihili, quod Grotius prudenter ait (d), nempe: *Ultimum iniquitatis patrocinium in praescriptione solet esse, aut consuetudine*: & fingamus praescriptiones, quae à jure civili proficiscuntur, locum habere inter Reges, & inter populos liberos (e), quibus, si placet, licet juribus Romanorum non uti, & jus naturae multò potentius sequi. Inspiciamus quaeso, quaenam haec fuerit tam pernicioſa consuetudo, & an quicquam virium in capita libera habere potuit.

(a) *L. quod licet 12. D. de off. Praesid. Vid. sup. n. XXV.*

(b) *L. quod non ratione D. de legib.*

(c) *Demosth. adv. Androgiton.*

(d) *Grot. in Mar. liber. cap. 3.*

(e) *Vasq. controv. Illustr. c. 51. apud Grotium ibid. & cap. 89. n. 12.*

XLVII. De Ruberto Guiscardo cùm satis superque hactenus tractatum sit, supervacaneum duco actam rem iterum agere. Illud tamen, apud omnes exploratum, animadvertere non pigebit; ligium hunc hominem & feudatarium, si Diis placet, Ecclesiae cum directis dominis haud multo post tempore cruenta gessisse bella; nec tamen quempiam mortalium eumdem feudo excisum pronunciàsse.

Roberto successit Rogerius filius, qui Ecclesiasticam ditionem, infesto exercitu, ad Tyberim usque subegit; mox tamen in Concilio Melfitano ann. MLXXXIX. fidelitatem Urbano II. professus est (f). Hunc excepit Guilielmus II., Apuliae, Calabriaeque Dux à Calisto II. post

(f) *Collen. lib. 3. Gothfrid. Malater. Chron. Norman.*

Pa-

Paſchalem II. & Gelaſium II. an. Chr. MCXXIII. confirmatus (*a*). Guilielmum Rogerius III. Siciliae Comes vi exturbat, cui vel invitus inveſtituram conceſſit Honorius II. an. MCXXVIII. (*b*) ſive, ut alii tradunt (*c*), Innocentius II.; cùm Regem Italiae, nullâ Pontificis petitâ veniâ, jampridem ultro ſeſe appellaſſet.

(a) *Panvin. in hor. Pontif. vitis. Collen. hiſt. lib. 3.*

(b) *Capicius - latr. hiſt. lib. 1. Ug. Falcand., Abb. Mauroſycus, Th. Fazzell. hiſt. Sicul. in Rog. I.*

(c) *Collen. lib. 3.*

XLVIII. Poſſem hìc in dubium revocare Rogerii II. *inveſtituram*, quando auctores non ſatis, ad faciendam de rebus geſtis fidem, inter ſe conveniunt, ab Honorio ne, an ab Innocentio acceperit. Sed utcumque demum ſeſe res habuit, non magis ipſe, aut Guilielmus II. Regnum fecit beneficialem, ac Robertus Guiſcardus: paribus utrobique adverſantibus rationibus (*d*).

(d) *L. illud. 32. D. ad leg. Aquil.*

Majus quid videbitur ignaris Juris publici, Rogerium, Regiae dignitatis impotenter cupidum, cùm ab Innocentio, quem captum habebat in poteſtate, nullis officiis, pollicitationibuſve Regium titulum impetrare potuiſſet (*e*); Anacleti partibus adhaeſiſſe, à quo Regia ornamenta facili negotio accepit (*f*). Inquiunt enim, vero haudquaquam eſſe ſimile, ut qui ſciret, Regnum à majoribus partum, Regiumque titulum ultrò ſumptum, propriis viribus, & magnitudine nominis tueri poſſe; Pſeudo-pontificiam auctoritatem advocare vellet; niſi mos, in ratione & aequitate ſitus, pridem inoleviſſet, & titulum, & rem ab Eccleſia Romana petendi; cogitaretque ſe, niſi talibus impetratis, legitimè imperare non poſſe.

(e) *Sigon. lib. XI. ad ann. 1140. Collen. lib. 3. Platin. in Innoc. II.*

(f) *Ex Bulla apud Baron. ad ann. 1130. Capic. latr. lib. 1.*

Illud quidem negaverim, ditionem à majoribus partam jure poſſediſſe. Nam per ſummum

ſcelus Guilielmo II., Rogerii II. filio, Roberti Guiſcardi nepoti, patrueli ſuo in Graeciam naviganti, eripuerat: neque facile admiſerim, tueri armis potuiſſe, niſi vafer homo ſubditis per ſpeciem religionis impoſuiſſet. Quo tamen minus locum habeat frigidula haec conjectura de Rogerii voluntaria ſubjectione, moribus introducta; faciunt illae eaedem rationes, quas ſuperiùs, cùm de Roberto Guiſcardo, explicavimus. Lubet hìc exſcribere verba Sigonii, quae totius rei geſtae ſeriem exponunt: *Quin etiam* (inquit) *Rogerius, Siciliae Comes, atque Apuliae, & Calabriae Dux, cùm Roberto Principi Capuano, ad Innocentium Piſas profecto, per arma Principatum eripuiſſet, omnes ditionis ſuae proceres ad Anacletum traduxit. Ejus verò facti ratio haec fuit. Rogerius, cùm Siciliâ, Calabriâ, Apuliâque potitus, ſe opibus ad tuendum Regiae Majeſtatis titulum ſatis inſtructum videret, nec tam latè potentem potentiam exiguitate nominis coarctandam exiſtimaret; ultrò ſe Regem Siciliae nuper appellare, nullâ Pontificis auctoritate, inceperat. Quod cùm VULGO improbari ſentiret, occaſionem idoneam nactus, ad Anacletum acceſſit, & ſe cum ſuis Epiſcopis eum amplexurum, ſi ſe Regem appellaret, oſtendit. Anacletus optatiſſimam occaſionem adeptus avidè arripuit, ac re compoſitâ Beneventum profectus. V. Kal. Octobris, ipſum praeſentem Italiae Regem, Apuliae, Calabriaeque Ducem, Capuaeque Principem declaravit, ac feudatarium, ſeu hominem, ut vocabant, ligium Eccleſiae confirmavit* (a).

(a) *Sigon. lib. XI. anno* 1130.

Occaſio fuit Principatus Capuanus praeter jus occupatus; immo univerſa Apulia, & Calabria: impulit verò cupiditas Regii tituli citra

invi-

invidiam retinendi. Exemplum principiò fuerat ſecutus Graecorum ducum, qui, poſt Alexandri M. mortem, diadema ſibi ipſi impoſuerunt (a); aut potius Agathoclis, Siciliae Tyranni, qui, quod unum ſibi deerat, Regium titulum ſponte ſumſit (b): ſed non bene apud ignarum vulgus res ſuccedebat: verebaturque, ne quis ſubditos, diris Pontificiis territos, & miſericordiâ forte motos Guilielmi, qui apud Salernitanorum Principem benignum ne hoſpitium, an exilium nactus fuerat, ad defectionem impelleret. Advocanda igitur fuit ſimulata pietas, vera fraus, religionis phantaſma, quae pulverem, ut ajunt, in eorum oculis injicerent, ne jus Gentium, & Naturae, regnandi cauſsâ violatum animadverterent. Effractis deinde impudentiae carceribus, appellari cepit: *Rogerius Dei Gratia Siciliae, & Italiae Rex, Chriſtianorum Adjutor, & clypeus, Rogerii primi Comitis filius*: ut legere eſt apud Falconem Beneventanum, coaevum ſcriptorem. Quis hoc ſtatuet, aut cui concedi ſine omnium Principum periculo poterit, ſatis virium nequiſſimum factum habuiſſe ad libertatem Regni funditus evertendam?

(a) *Juſtin. lib. 15. Appian. in Syriacis.*

(b) *Diodor. Sicul. lib. 20.*

Quod tamen magis eſt ridiculum, ille idem Rogerius, Eccleſiae *ligius*, qui, plus quàm vulpino aſtu Regnum, & regium titulum ab Anacleto Antipapa accipere profeſſus eſt; non ideo magis Eccleſiam tutatus, aut veneratus eſt; ſed quavis arreptâ occaſione, ejuſdem urbes, oppida, ditiones incendit, vaſtavit, abſumſit. Scilicet nihil omnino ſanctum habent homines, quando ad ſanctitatis ſimulationem cogit cupiditas dominandi. Atqui,

Atqui, inquiunt, ipsâ Calabriâ, Apuliâque exutus eſt ab Innocentio, è Galliis poſt triennium reverſo. Exutus eſt quidem, fateor (& nos ſupra meminimus), ſed ab Innocentio bellum ſacris deteſtationibus gerente, à Lothario verò Caeſare aperta vi, & armis. In ejus locum ſubſtitutus Reginulfus quidem Comes: ſed, ortâ de jure inveſtiturae contentione, vexillum unà tradente Lothario, & Pontifice; &, ſi aliis adhibemus fidem (a), à ſolo Imperatore, cui pridem ſcripſerat Divus Bernardus Abbas Claravallenſis in haec verba: *Non eſt meum hortari ad pugnam; eſt tamen (ſecurus dico) advocati Eccleſiae arcere ab Eccleſiae infeſtatione ſchiſmaticorum rabiem; eſt Caeſaris PROPRIAM vendicare CORONAM ab uſurpatore SICULO.* Mox ſubdit: *Sic proculdubio omnis, qui in Sicilia Regem ſe facit, contradicit CAESARI.* Optimè vir ſanctus diſtinguit inter jura Sacerdotii, & Imperii: nihil ad Pontificem res Siculas ſpectare putat.

(a) *P. Diacon. lib. 4. Blond. hiſt. Sicil.*

Hìc appello eos, qui poſſeſſionem diuturnam, qui praeſcriptionem clamant. A Roberto ne Guiſcardo eam incohabimus? an à Rogerio III.? cujus aetate Imperatores Occidentis, neque harum regionum erant obliti, neque Pontificis Romani voluntati quippiam hac in re deferendum exiſtimabant; & habebant inſuper ſuorum jurium monitorem Bernardum.

Miſſum itaque faciamus Rogerium, quando, licet poſt exactum Reginulfum iterum à Celeſtino II. Regem appellatum fuiſſe legimus (b), aut à Lucio II. ut alii malunt, cum eodem annuo cenſu DC. *ſchifatorum* Apuliae (c); praeſcriptionis tamen initium inde ſumere non licet,

(b) *Collen. lib. 3.*

(c) *Ricc. lib. 1.*

cet, cùm propter modò enarratas rationes, tum maximè quia anachroniſmus multum fidei tollit: praeſertim, cùm neque à Celeſtino, neque a Lucio novam *Inveſtituram* ſumſiſſe Rogerium alii ſcribant, ſed ab Innocentio II., cujus Bullam producit Card. Baronius (*a*) ex Vaticana Bibliotheca, ſi modò ſtylus eam aetatem ſapit.

(a) *Baron. ad ann. 1139. Sigon. loco cit. Capic. lat. lib. 1.*

II. Accedamus ad Guilielmum cognomento malum. Hunc Pater, inſcio Pontifice Eugenio III., conſortem Regni adſcivit; uti ex inſcriptione Inſtrumenti anni MCLIV. planum fit (*b*), quae habet: *Anno Domini MCLIV., Regni Domini noſtri Rogerii Regis inclytiſſimi, & triumphatoris anno vigeſimoquarto, & quarto anno Regni Domini Guglielmi Regis Sereniſſimi filii ejus, feliciter cum eodem patre regnante.* Nihilotamen minus, hoc eodem anno vitâ functo Rogerio, iterum diadema ſolemni ritu Panormi ſumſit.

(b) *Inſtrum. in membran. in Archiv. SS. Trin. Venuſii relat. à Capicio-latro.*

Quas ſimultates, quae bella Guilielmus cum Hadriano IV. geſſerit; quâ felicitate perduelles ſubditos, Graecoſque profligaverit, Pontificem captivum habuerit, inveſtituramque acceperit, ſuperiùs enarravimus. Hoc tamen loci obſervatu dignum reor, quod Platina ſcribit (*c*) Hadrianum gravi anathemate in Regem animadvertiſſe, quòd Beneventana ſuburbia, Capanum, Baucumque in Hernicis occupâſſet; omni inſuper ſacramento ejus ditioni ſubjectos liberâſſe, quò faciliùs à Rege deficerent nullo jurejurando adſtricti. Aut igitur leges feudi ignorabat Pontifex, aut vaſſallum Guilielmum, & ligium hominem Eccleſiae non putabat, ſecundùm ſtrictam J. Ctorum interpretationem; ſed fidelitatem perſonalem ſibi deberi exiſtimavit,

(c) *Plat. in Hadr. IV.*

poſt

poſt tranſactionem Beneventanam an. MCLVI., quam inveſtitura comitata eſt: ut ex Inſtrumento concordiae apud Baronium liquet (a): nam ſi ſecus, feudum, crimine vaſſalli apertum, alteri conceſſiſſet.

(a) *Baron. Annal. tom. XII. ad ann. 1156.*

Ita quidem ſcribunt noſtri Itali, qui ex Monachorum Caſinenſium plerumque ſcriptis, illorum temporum Hiſtoriam concinnâverunt. Sed Graeci contra nituntur, & Guilielmum à Manuele Comneno Regem appellatum memoriae prodidere. Sic enim Cinnamus, auctor coaevus (b): *His ſaepiùs ab Imp. lectis litteris dictis annuere, receptiſque captivis Romanorum, aliâque belli praedâ reſtitutâ, fide ad haec datâ à Guilielmo, ipſum ſociali cum exercitu Occidentem verſus ſecuturum, bellum ſolvere*: mox ſubdit ὀλίγῳ δὲ ὕστερον καὶ Ῥῆγα τεκμήκειν, οὐ πρότερον ὄντα: *Paulo poſt & Regem eum appellavit, cùm priùs non eſſet*. Nec tantùm appellatum Regem, ſed Manuelis auctoritate ejus poſteros regnâſſe, inferri poteſt ex ſequentibus Hiſtorici verbis: *Tantâ autem erga illum uſus benevolentiâ eſt, ut, mortuo Guilielmo, accedentem fratrem, rogantemque ut Siculis cum imperio praeficeretur, haud quaquam admiſerit*. Habenus igitur Guilielmum Regio nomine ab eo decoratum, ad quem verum directumque dominium Siciliae, Apuliae, & Calabriae pertinebat, & verum jus creandi Reges, Romani Imperatoris proprium (c). Saltem valde dubium, à Pontifice ne, an ab Imperatore, an ab utroque acceperit. Unde conſequitur neque ab ea aetate poſſeſſionem, ſive mavis praeſcriptionem, quam praedicant, incipere potuiſſe; neque jam inceptam ampliùs quicquam habuiſſe firmitatis:

(b) *Io: Cinnam. de reb. geſt. Io: & Manuel. Comnen. lib. 4.*

(c) *Roſenthal. de feud. cap. 2. concl. 2. n. 3. & cap. 5. qu. 3. Zaſius de feud. n. 6. Daniel. Otton. de jur. publ. cap. XI.*

tis: cùm ex Theodosii constitutione discamus, (a) ad praescriptionem inducendam nulla medio tempore jurgia mota esse oportere.

(a) *Valentiniani Novell. tit. 8. Cujac. lib. 8. Obser. cap. 26.*

L. Guilielmum III., cognomento bonum, qui patri successit anno MCLXVI. (b) in verba Alexandri III. jurâsse admodum est verisimile: sed eo è vivis sublato ann. MCLXXXVI., & legitimâ Nortmannorum sobole deficiente, Tancredus, Rogerii III. nothus, Ordinum consensu Panormi Rex salutatus est: & mox imperii participem fecit Rogerium, filium natu majorem: frustra investituram denegante Clemente III. (c), immo belli facem teterrimam agitante. Ecce rursum diuturnam illam consuetudinem interruptam, &, quod maximi momenti est, mirâ populorum consensione.

(b) *Baron. Saecul. XII.*

(c) *Vid. sup. n. X.*

LI. Immo hinc possessionem juris tradendi feudum *in rem* (ut dicitis), ad haec usque tempora deductam, auspicabimur, inquiunt adversarii. Etenim isthoc pacto Regnum Neapolitanum Pontificiâ auctoritate ad Henricum Caes., Friderici Aenobarbi filium, delatum est. O dictum plusquam lepidum! Sed si pontificiâ auctoritate istud fieri poterat, dic sodes, quid opus fuit Constantiam, Guilielmi II. sororem, virginem aetate jam provectam, riteque Deo consecratam, ex monasterio clam educere? (d) quando non existentibus masculis legitimis, foeminâ verò religione obstrictâ, feudum reversum esse ad dominum directum jure dici poterat? Hìc meherclè mala fides, personâ detractâ, debacchatur. Si feudum erat apertum, ut loquuntur, Curiae Romanae, quid obstabat Clementi III., sive Celestino III., ut mavult Plati-

(d) *Videndus de hac re Costus in Animadv. ad Collenuc. lib. 3. ubi aliter sentientium argumenta refellit, Ricc. lib. 2. Plat. in Celest. 3. Fazzell. Hist. Sicul. Boccac. foemin. Illustr.*

(a) *Plat. ibid.*

na (*a*), quò minus Henrico per novam inveſtituram concederet? quid Conſtantiam reſecrare, & ſpeciem honeſtatis quaerere nec ſatis probabilem, nec ſatis idoneam? Igitur ſucceſſionis potiùs jure, quàm inveſtiturae vi, novus erat Princeps Siculis imponendus. Ad haec: *Excepit etiam Clemens* (*b*), *ut Henricus à Tancredo Regnum ſuo ſumptu reciperet, cenſumque, Eccleſiaeque quotannis ſtipendium ſolveret*, ut inquit Riccius. Quid? Aut propter Conſtantiae nuptias juſtam Henricus nanciſcebatur invadendi occaſionem; & tunc Regnum, armis acquiſitum, ejus fieri oportebat *jure gentium*, nec opus inveſtiturâ: aut injuſtè adoriebatur, forte quia cum virgine Deo conſecrata nullae poterant intercedere juſtae nuptiae (*c*); & tunc inveſtitura de injuſto juſtum facere non poterat. Rurſus, cùm ex ſuperioribus demonſtratum ſit, nullum tunc temporis praetendere Romanam Curiam potuiſſe directi dominii titulum, neque ſummi juris imperandi poſſeſſionem; ridiculam planè fuiſſe inveſtituram neceſſe eſt. (*d*) Nimirum hoc erat, ni valde me fallit opinio, Occidentale Imperium ſenſim labefactare: huc demum, tanquam ad ſcopum, omnium machinamentorum tela dirigebantur: ne in poſterum Imperatores ad ſe pertinere contenderent, quod ſemel Pontificiâ liberalitate viſi eſſent accipere: &, quod ſuavius eſt, accipere verbis, non re, quae proprio ſumptu erat vindicanda.

(b) *Ricc. loc. cit.*

(c) *C. voventibus. c. ſi nupſerit. c. quid interrogaſti c. penult. & ult. diſt. 17. c. ſi quis eorum c. de illo diſt. 52. c. 1. c. 2. Extr., qui cler., vel vovent. Concil. Trid. ſeſſ. 24. can. 9. de Sacram. matrim.*

(d) *Duaren. ad Conſuet. feud. cap. 4.*

Conatus principio irriti, propter Tancredi virtutem, ſubditorumque fidem: eo tamen vitâ functo ann. MDXCIII., imparique ad tantam belli molem ſubſtinendam Guilielmo filio; Henricus

ricus Siciliâ potitus eſt, & mox Regno Neapolitano: cùm, non ſine ſummâ perfidiae notâ, inſontem Guilielmum, & Neapolis ex compacto Regem, ſive, ut alii malunt, Principem Tarentinum (a), in carcerem detrudi, &, ad amovendam in poſterum omnem bene ſperandi anſam, caſtrari juſſiſſet. Quod accidit circa ann. Chr. MCXCV., Pontificatum Max. obtinente Celeſtino III.

(a) *Capiciuslatr. lib. 4.*

LII. Lubens hìc praetereo Gualterii de Brenna, Johannis Regis Hieroſolymitani fratris, magnos, ſed imprudentes, & infelices auſus, poſt copulatam ſibi Tancredi filiam: nec non Othonis IV. Imperatoris res geſtas; qui, Regnum ad Occidentale Imperium pertinere arbitratus, nullâ Pontificis auctoritate, univerſum brevi ſubegit, brevique amiſit. Ad graviora feſtinat oratio.

LIII. Circa ann. Chr. MCXCVIII. Innocentius III. Pont. Max., rogatu Conſtantiae Imperatricis, Cardinalem Oſtienſem in Siciliam miſit, qui Fridericum, Henrici filium, Regem inungeret, & ſacramento in verba Pontificis adigeret. Vix anno exacto, Conſtantia naturae conceſſit Panormi; ſupremiſque tabulis rogavit Innocentium, ut curam Friderici pupilli gereret. Miſſi propterea in Siciliam Gherardus Card. S. Hadriani, & Gregorius de Galgano Card. S. Mariae in Porticu, qui Regnum pro Friderico adminiſtrarent (b).

(b) *Collen. lib. 4. Sanct. Anton. de Innoc. III. tom. 3. c. 1. ad ann. 1199.*

Fuere patrum noſtrorum memoriâ, qui maximum dominationis Pontificiae argumentum hanc tutelam, per Legatos geſtam, praedicarent: ſed me rito à noſtris J. Ctis. exſibilati ſunt,

(a) *Marcian. Reſponſ. de Baliatu Regni.*

(b) *To. 1. Sicil. Sacr.*

(*a*) vel ex eo tantùm, quòd in Epiſtola ejuſdem Innocentii ad Archiepiſcopum Panormitanum legitur (*b*), tutelam fuiſſe teſtamentariam, non dativam, & ſummi dominii veluti conſequentiam: *Cùm inclytae recordationis*, inquit, *Conſtantia Imperatrix, chariſſimi in Chriſto filii noſtri Federici, Siciliae Regis illuſtris tutelam, & Regni baliatum nobis teſtamento reliquit, &c.*

Friderici hujus II. erga Eccleſiam merita fecerunt, ut, ſacris deteſtationibus devotus, Regno non ſemel privaretur, (ſed verbo tenus) & iterum compos fieret; pontificatum Max. obtinentibus Honorio III., Gregorio VII., & Innocentio IV. (*c*) Nec ſubditorum magis ſibi conſtans voluntas: ſive quòd imbuti nimiâ religionis opinione, publicique juris ignari; ſive Friderici crudelitate, & avaritiâ permoti.

(c) *Ric. lib. 2. Collen. lib. 4. Sigon. lib. 17., & 18.*

LIV. Mortuo tandem apud Ferentinum, Apuliae oppidum, Friderico, cùm ingens adverſus Bononienſes bellum moliretur, nec ſine ſuſpicione eliſarum à Manfrido filio notho faucium (*d*); pax Italiae reddita, ſed non Regno. Etenim Campani, & Neapolitani, Svevicae domus pertaeſi, Eccleſiae partes ſuſcepere, in Conradi verba minimè juraturi: & Manfridus, regnandi percupidus, ſuperos, inferosque miſcebat: adeò ut ad Pontificem, Neapoli Conventum Procerum celebrantem, maximâ cum ſimulatione pietatis, accederet; non minimum eâ tempeſtate praeſidium ſibi futurum cogitans, ſi falli pateretur.

(d) *Sigon. lib. 19. Ric. loc. cit. Conſtantius lib. 1. Hiſt.*

Longum nimis eſſet hìc repetere, quae ſupra memoravimus (*e*), & quae paſſim legere eſt apud Hiſtoricos. Sed minimè ſilentio praetermit-

(e) *Num. XIII.*

mittendum reor, Primò Manfridum, poſt Conradum fratrem veneno ſublatum, invitis licet Alexandro IV. & Urbano IV. regnâſſe, & forte legitimè, ob ſubditorum conſenſum: deinceps Regnum, quod ad Conradum jure ſucceſſionis, & paternâ in ejus favorem abdicatione, pertinebat, ab Innocentio IV. non debuiſſe Eccleſiae, ſalvâ aequitate, vindicari: poſtremò adhuc Conradum univerſum Regnum redegiſſe in poteſtatem ann. MCCLII., nequicquam negotium faceſſente Carlotto, Angliae Regis fratre, ſive Henrico Rege, Edmundi filii nomine (*a*); cui Innocentius ann. MCCLII. inveſtituram detulerat: infirmum, ſine inſtructo exercitu, titulum (*b*). Et quod caput rei eſt, cùm Neapolim arctiſſimâ obſidione premeret, ſuadenti Pontificio Legato, benignè erga Neapolitanos ſe gereret, reſpondit: *Daret operam Pontifex vitiis clericorum compeſcendis; ſe paterni Regni res pro voluntate curaturum* (*c*). Et haec ſatis de poſſeſſione ſub Svevis dicta ſunto.

(a) *Vol. 1. M. S. de Juriſd. Archiv. Reg. Neap.*

(b) *Collen. lib. 4.*

(c) *Coſt. in animadver. ad Collen. ex M. SS. Matthaei Spinelli, ſive de Juvenatio.*

LV. Pergamus modo ad Andegavenſes, quos accepiſſe Regnum Neapolitanum à Romana Curia, tritum eſt & pervulgatum. Sed, proh coelitum, atque hominum fidem! quibus artibus, qua ope, quibus conſiliis? Conradinus praeter jus, & aequitatem, & propter aetatis innocentiam nihil de Eccleſia malè meritus, paternâ ſucceſſione, & vitâ ſpoliatus eſt: Urbano IV. Carolum Provinciae Comitem ad Regnum capeſſendum invitante ann. MCCLXV.; Clemente verò IV. *inveſtituram* confirmante (*d*). Quî igitur? Pro deſcendentibus maſculis & foeminis, ſervatâ ſexus & aetatis dignitate, eâ lege, ut

(d) *Ricc. lib. 2. in fin.*

ut praeſtaret fidelitatis jusjurandum, & *ligium homagium*; requiſitus à Pontifice ſubſidio mitteret CCC. armatos equites; cenſus nomine quotannis ſolveret ſcutatorum XLVIII. millia, ut inquit Collenucius,& Conſtantius (*a*), ſive LX. millia, ut vult Riccius, ſive XL. millia, ut Platina ſcribit (*b*); neque inungi ſe pateretur in Regem, Imperatoremve Romano-Germanicum, ſeu Dominum Lombardiae, vel Tuſciae. (*c*) Atque iſthoc pacto Regnum, quod antea cum libera adminiſtratione deferebatur,(*d*) novis legibus,novoque jure in Carolum tranſiit(*e*) titulo tenus; exinde proprio milite parandum, & ſubditorum voluntate retinendum.

(a) *Collen.lib.4.Conſtant.lib.1.*

(b) *Platin. in Clem. IV.*

(c) *Blond. Ital. Illuſtr.Summont.lib. 2.Hiſt. cap.12.*

(d) *Sigon.lib.15. Hiſtor.Ital.*

(e) *Summont. c. 13. Bzov.continuat. Baron.ann.1198*

Diuriuſcula quidem omnia. Sed quid mirum? & cur non modò iſtas, ſed iniquiſſimas quaſque leges detrectârent Andegavenſes? Gratias igitur agere, &, ut occaſio data eſt, etiam referre Romanae Curiae; cujus licet non pecuniâ, & auxiliaribus copiis, certè officiis, conſiliiſque ampliſſimam, florentiſſimamq; ditionem, praeter omnium mortalium ſpem,redegerunt in poteſtatem. Aliorum quinimmo exemplis edocti, non tam ingrati animi notam omni ſtudio vitare conati ſunt, quàm Pontificum gratiam promereri; ne forte potentiorem aliquem viciſſim in eorum perniciem accerſerent. Et Carolus profectò II. à Nicolao II.Regni confirmationem accepit,ann.MCCLXXXIX.,poſtquam à Petro Aragonio dimiſſus eſt: & anno MCCIX. Robertus à Clemente V.; qui & controverſiam cum Carolo Humberto, Caroli Martelli F., Hungariae Rege de ſucceſſione ortam (*f*), Patrum adhibito conſilio (*g*) diremit.

(f) *Collen.lib.5.*

(g) *Ricc. de Reg. Sicil.lib.3.*

LVI. Sed

LVI. Sed ne ad ulteriora progrediamur, duo nos remorantur, à Romana Curia saepius jactitata. Primùm quòd, Carolo Primo vitâ functo, cùm Carolus ejus filius captivus in Sicilia detineretur, anno MDCCLXXXIV., Martinus IV. Pont. Max., ad Regnum ejusdem Caroli II. nomine gubernandum, Legatum Sedis Apostolicae misit Gherardum Card. Parmensem.

Alterum, quod nuper tetigimus de controversia à Clemente V. diremta. Post decessum enim Caroli II., Regnum aequè ad se pertinere contendebat Carolus Humbertus, Caroli Martelli natu majoris filius, & Robertus, Caroli II. filius natu minor; qui illud nepoti opponebat, Martellum naturae concessisse antequam Carolus II. pater Regno potiretur. Quaestio quidem summâ contentione tunc agitata, & pererudite postmodum à doctissimo J. Cto. Francisco Hottomano enucleata (*a*). Clemens verò, auditis prudentum responsis, pro Roberto pronunciavit; adnitente praesertim Bartholomaeo de Capua, magni nominis tunc J. Cto., & rerum gerendarum dexteritate claro: qui tranquillitatem, utilitatemque publicam in primis praetendebat; ne tot, tantique Regiae stirpis proceres Hungarorum imperata facere cogerentur; neve Regnum à Principe Italicis moribus non imbuto, Scythicoque ingenio administraretur.

(a) *Hottom. quaest. Illustr. 3. Theophi. Raynaud. ad an. 1309. Afflictus decis. 119. n. 3.*

Ad primum quod attinet, non negaverim, missum quidem fuisse Cardinalem Parmensem; quamquam ejus non meminit D. Antoninus, minimarum quoque rerum scriptor diligentissimus (*b*). Neque hanc pulcherrimam occasionem jurisdictionis prolatandae praeterlabi sivisset Mar-

(b) *S. Antonin. tit. 20. de Regn. Sicil. & Aragon. cap. 4. to. 3. §. 9.*

Martinus IV.: ſed eodem fere tempore ad Regnum legimus adventâſſe Robertum Comitem Atrebatenſem, Philippi Valeſii Galliarum Regis filium, unà cum Maria Salerni Principe, & Carolo Martello puero, ad populos in fide continendos, Regnique curam ſuſcipiendam (a): neque ſcriptorem adhuc offendimus, qui Cardinalem ſcribat fuiſſe admiſſum, aut tutelam geſſiſſe; quod utique Eccleſiaſticarum rerum auctores minimè praetermiſiſſent. Ponamus tamen fuiſſe admiſſum, quis non videt, amicitiam Pontificis, per id tempus apprimè neceſſariam (ut eventus docuit), difficultatemque temporum fuiſſe in cauſsa, ut Andegavenſes de Regno potiùs conſervando adversùs cùm internam, tum externam vim, quàm de juribus ſummi Imperii non laedendis cogitâſſe? Diſſimulandus hìc non eſt ſupinus error Platinae, (b), qui ſcribit, captivo exiſtente Carolo I., miſſum fuiſſe Card. Parmenſem, cùm Carolus II. ejus filius, Neapoli degeret. Quî enim opus habuiſſet tutore, vel manuductore Carolus, qui aetate tunc temporis erat jam provectâ, liberoſque ex Maria uxore ſuſceperat? aut cur Philippus Galliarum Rex Robertum Atrebatenſem rebus in Regno gerundis praefeciſſet? Accidit id igitur mortuo in Apulia Carolo I., Carolo verò II. è cuſtodia Tarraconenſi nondum dimiſſo; cujus uxor, impubeſque filius impares rerum ponderi eſſe videbantur. Sed error Platinae ex eo fluxit, quòd duos fuiſſe Carolos, Patrem, & filium non animadvertit: nec magis ex fide Hiſtoriae illud eſt quod ſubdit, ſublato è vivis Carolo Primo, *ad Legatum ipſum totum gu-*

(a) *Collen. lib. 5. Conſtant. lib. 3. in princ.*

(b) *Plat. in Mart. IV.*

ber-

bernandae Provinciae pondus recidiſſe, Atrebatenſis Comitis oblitus.

Quantum ad controverſiae definitionem inter Carolum Humbertum, & Robertum, non eſt admodum laborandum. Nemo, quòd ſciam, adhuc dicere eſt auſus, electum arbitrum, quamvis ſummae inter homines dignitatis, jus dominii in bonis litigantium ſibi vindicare; aut in iis, quae alteri partium addixerit. Et ſcimus, non ex hoc Eccleſiam Romanam Jus ſummi Imperii habuiſſe in Regno Hieroſolymitano, quòd liti de ſucceſſione ortae inter Hugonem Luſignanum Cypri Regem, & Mariam, Boëmundi Principis Anthiocheni filiam, aliquando finem impoſuit: nam diſertè tradunt auctores, Reges Hieroſolymitanos neminem ſuperiorem recognoviſſe niſi Deum Opt. Max. (*a*) quidquid contra clament nonnulli (*b*). Praeterea, vivente adhuc, & procurante Carolo II. patre, obviam itum futurae controverſiae, & pro Roberto pronunciatum à Bonifacio VIII. an. Chr. MCCC. (*c*) ſcribit Zappullus.

LVII. Quinimmo quis vetat nos quoque confugere ad ſacram illam anchoram Roberti Card. Bellarmini, diſtinctionem nempe *de facto*, & *de jure*? (*d*) & tantò majore profectò cum ratione, quantum quòd ille, contra expreſſa Divi Pauli verba (*e*), & Apoſtolorum (*f*) doctrinam, jubentium poteſtatibus ſuperioribus omnem animam obedire, commentus eſt, Apoſtolum *de facto* magiſtratibus Romanorum paruiſſe, non *de jure*; nos verò, jus gentium, & Divinum ſecuti, ſummam Dominationem Regibus noſtris vindicamus; & *de facto* dicimus, non *de jure* Inveſtituram à Pontificibus, vel petiiſſe,

(a) *Papon. de privil. Ruſticorum lib. 1. cap. 10. n. 3.*

(b) *Boccac. in caſib. Viror. Illuſtr, Coſt. in animadv. ad Collenuc. lib. 5 ad ann. 1276.*

(c) *Zappull. Hiſtor. Neap. cap. 5.*

(d) *Bellarm. in Opuſcul. adv. Theolog. Venetos.*

(e) *Loc. ſup. citatis.*

(f) *Epiſt. D. Petri.*

tiiſſe, vel accepiſſe; & *de facto*, non de jure Pontifices Maximos rebus noſtris, & noſtrorum Principum controverſiis, vel vocatos, vel potiùs ſponte ſe immiſcuiſſe;& *de facto* quoque *Baliatus* Regni per Legatos aliquando geſſiſſe,aut gerere videri voluiſſe. Qua in re mirum cordati viri ajunt illud eſſe,quòd plurimas quidem *de Baliatu* Bullas oſtendunt Romani; ſed fere nullam de Regno,per Legatos Apoſtolicos adminiſtrato, mentionem faciunt rerum noſtrarum ſcriptores: non adeò quidem ſtupidi, ut rem tanti ponderis, ſi accidiſſet, intactam per incogitantiam reliquiſſent; neque tam exquiſitae malae fidei, ut per aſtutiam praetermiſiſſe quiſpiam ſuſpicari poſſit. Aſt miſerunt Legatos Pontifices. Quidni? Parva erat membranae jactura, & plumbi unciolae. Legati,triduum iterfacientis,expenſae haud multum faciendae. Cùm aditus igitur patefieret, tentandum erat *juriſdictionis* terminos proferre,non ultra Latium modò, ſed ultra Seres, & Indos. Quid enim aliud fuit Alexandri VI. Judicium novi Orbis erciſcundi? Si res bene vertiſſet fructus plurimum, ſi malè detrimenti parum: qua arte etiamnum hodie maximopere res ſuas promovet Romana Curia. Sed parum, aut nihil profeciſſe in Regno Bullas de *Baliatu* miſſas, fidem faciunt, quemadmodum dicebam,& altum Hiſtoricorum ſilentium, & publicae tabulae, in quibus nec minimum quidem invenire licet Diploma, aut Inſtrumentum, quod Legati Apoſtolici tutoriam auctoritatem, in rebus pupillorum Regum adminiſtrandis, oſtendat.

LVIII. Eſſent haec quoque aliquid,& injuſtam licet poſſeſſionem, poſſeſſionem tamen

appellare non pigeret; nisi plura sub ipsis Andegavensibus accidissent, quae Curiae Romanae mirum in modum adversantur. Nullibi enim reperimus in Annalium monumentis, Andream, Hungariae Regis filium, & Johannae Primae virum, Investituram à Pontifice habuisse: & tamen inter nostros Reges legitimos numeratur, cùm proprio jure, tum Johannae uxoris, & Roberti testamento. Johanna ipsa diadema Româ petere principiò non curavit; sed tunc demum accepit, cùm alteri viro Ludovico II. Tarentino nupta, urbeque Avenionensi Clementi VI. dono datâ, reditum in Italiam, & in Regnum, à Pannoniis turbatum, pararet(a): tantum aberat, ut in hereditario Regno his opus esse adminiculis ad imperandum, sive ipsa, sive quispiam subditorum existimaret.

(a) *Constant. lib. 6. Ricc. lib. 3. Collen. lib. 5.*

Carolus III. ex Dyrrachiensi Domo ab Urbano VI. Romae coronari non aegre tulit, ann. MCCCLXXX. (b) potiùs ad fallendos imperitorum animos, deterrendosque Johannae Reginae fautores; quàm quòd revera sua putaret interesse. Luculentissimos habemus Historicos, qui narrant, cùm rogaretur ab Vrbano VI. Neapoli degente, ut cives, nimiis vectigalibus oneratos, levaret, respondisse: Curaret Pontifex clericorum mores; se quod è Republica esset inspecturum (c): Regnum armis sibi peperisse, & uxoris hereditario jure: à Papa nil, nisi *pauca verba* in investiturae tabulis accepisse (d). Et cùm Vrbanum in custodia detineret fere captivum, quòd rebus novis studuisset; sapienter arbitros discordiarum componendarum fecit Neapolitanos cives: quò intelligeret Pontifex, verum jus imperandi à subditorum voluntate

(b) *Constant. lib. 7.*

(c) *Costus in animadv. ad Collen. lib. 4. ex M. SS. Matthaei Spinelli.*

(d) *Constantius lib. 8.*

pendere. Cùm verò ille è cuſtodia elapſus, Nuceriam ſe recepiſſet, diemque Regi dixiſſet; facetè Carolus reſpondit, *Se non per advocatum, ſed per ſe affuturum; copiiſque tumultuariè coactis Nuceriam contendit* (a). Simile quippiam Praetor Aetolorum, juſſus reſponſum edere ad poſtulata Quinctii (*b*): *Decretum* (inquit) *reſponſumque brevi in Italiam, caſtris ſuper ripam Tyberis poſitis, daturum*: Et Porus Indorum (*c*) Rex ad Alexandrum M. *Praeſtò advenienti futurum, ſed armatum*. Quin magis ad noſtram rem Princeps Walliae (*d*), ad cauſſam dicendam coram Carolo V. Galliarum Rege evocatus: *Quidni* (inquit) *ad avum meum Lutetiae Pariſiorum pergam? ſed cum LX. armatorum millibus, & galeatus.*

(a) *Ricc. lib. 3.*

(b) *Livius Decad. 4. lib. 5.*

(c) *Curt. lib. 8.*

(d) *Froſſard. hiſtor. lib. 1.*

Ludovicus Hungariae Rex, Andreae fratris mortem ulturus, in Regnum expeditionem ſuſcepit, brevique ſubegit; parum inveſtituram Pontificiam penſi habens.

Ladislaus adhuc puer inveſtitus eſt à Bonifacio IX. anno MCCCLXXXIX. ſive MCCCXC. ut mavult D. Antoninus (*e*), coronatuſque Cajetae (*f*) ab Angelo Acciajolo Card. Florentino, Pontificio Legato; quem falsò quidam putant, fuiſſe Regni *Balium* (*g*). Sed aetate grandior, Romam ipſam non ſemel facere imperata coëgit, impoſitoque praeſidio aliquantiſper tenuit.

(e) *D. Anton. tit. 22. c. 8.*

(f) *Collen. lib. 5.*

(g) *Apud Marcian. in reſponſ. de Baliatu Regni.*

Johanna II. nullâ Pontificis auctoritate jamdiu regnaverat (*h*), cùm à Martino V. ultrò ei inveſtitura delata eſt ann. MCCCCIIX.; quo auxilia adverſus Braccium Montonenſem impetraret.

(h) *Ricc. 3.*

Poſt ejus obitum anno MCCCCXXXV. Eugenius

genius IV. qui Aragoniorum partes fovebat, Neapolitanos monuit, ne quempiam Regem sibi adsciscerent, nisi cui ipse investituram detulisset: sed responsum à proceribus est, alium se Regem non habituros, quàm Renatum Andegavensem, supremis Johannae tabulis scriptum heredem (a).

Alfonsus Aragonius principiò infestum habuit Eugenium IV.: sed pacatis tandem Regni rebus ann. MCCCCXLIII. investituram ultrò oblatam accepit; quò, Tyrannis ejectis, Picenum Ecclesiae reciperaret (b), & peculiari Bullâ mensis Decembris ejusdem anni, potestatem obtinuit pecuniam exigendi ab Ecclesiasticis; & Praelatos in Regno non admittendi, qui sibi suspecti viderentur (c). Adeò verum est, saepissimè largitos esse Pontifices, quae negare sine maximo auctoritatis dispendio non potuissent; acceptaque à Regibus nostris ea, quae sicut ad summam rei nihil adjiciebant, ita honestius erat non accepisse.

(a) *Collen. lib. 6.*

(b) *Idem ibid.*

(c) *M.S. de jurisdict. vol. 1.*

Ferdinandus quoque Aragonius, Alfonsi I. filius, invito Calisto III. regnavit (d); & nonnisi circa ann. MCCCCLIX. Pio II. Pontificatum Max. moderante, Baruli à Card. Ravennate, sive Latino Vrsino tit. SS. Joh. & Pauli coronatus est (e): eodem ferme tempore, quo Johannes Andegavensis, Renati filius, Lotharingiae Dux, littoribus Campaniae appulerat, à Tarentino Principe, aliisque conjurationis sociis accitus. Sed Ferdinandus non ideo minus legitimè se regnaturum in Regno paterno existimabat, si investiturâ caruisset; & miserrimus erat futurus mortalium, si alium, quo se ab Andegavensibus

(d) *Pontan. de bello Neap. lib. 1.*

(e) *Ricc. lib. 4.*

pro-

protegeret, clypeum non habuiſſet.

LIX. Noſtri propoſiti non eſt hiſtoriam Regni Neapolitani concinnare: verùm tam ex iis, quae hactenus memorata ſunt, quàm quae fortaſſe in medium adduci poſſent, luce meridianâ clarius innoteſcit, à Regno quidem condito, ad tempora uſque Caroli II. Auſtrii ὁ ἐκ τῶν ἀγχοῦ, Reges noſtros aut hereditario jure imperaſſe, aut armis rem ſibi quaeſiviſſe. Priores de inveſtitura parum fuiſſe ſollicitos, niſi quando dominationem parum firmam, proprias vires imbecilles, ſubditoſque religione in officio contineri poſſe exiſtimarunt: ceteroſque non tam petiiſſe, quàm oblatam toleraſſe, ne turbae, hac datâ occaſione, à Curia Rom. excitarentur; promptâ ſemper incendii materiâ, ubi fax non deeſſet. At qui majores geſſerunt ſpiritus, ut Conradus Suevus, jugum ſubire omnino recusarunt. Hinc illud Romanae Curiae arcanum: dare vehementer operam, certâque lege cavere, ne qui Neapolitanum Regnum moderantur, Romanum Imperium appetant. De iis verò, qui neque ſucceſſione, neque ſubditorum voluntate nixi ſunt, ſed, regnandi cupidi, quantum rebus afferre momenti poſſet Pontificia auctoritas animadverterunt; aut ultro à Pontificibus, florentem Regum noſtrorum potentiam, pro more, formidantibus (a) invitati ſunt; judicium ſapientum eſto: quos rogatos velim diverſitatem legum, in inveſtituris dictarum, ſeriò expendant; revocentque ad incudem, ecquid fuerit cauſſae, cur Pontifices potiùs ſuis cupiditatibus, neceſſitatique temporum (ut Guicciardinus ait (b)) quàm juri & aequitati inſervientes, ut plurimum

(a) *Guagnin. de geſt. Reg. Francor. lib. 7.*

(b) *Guicciard. lib. 1.*

mum poſſeſſoribus fuerint velificati? An quia ſatis virium non habuere ad jus ſuum conſtanti ſemper tenore ſervandum? an quia de ipſo jure ceperant diffidere?

LX. Nobis idcirco ſatis erit in praeſentiarum, ad vires diuturnae conſuetudinis expendendas, in lectoris benevoli memoriam revocare. Ad uſucapionem, praeſcriptionemve inducendam requiri poſſeſſionem, titulum, bonam fidem, & rem non vitioſam (a). Poſſeſſionem in re, de qua agimus ſatis fuiſſe interruptam actibus contrariis ex ſuperioribus evincitur, adeoque eſſe inutilem ad praeſcribendum (b). Eadem verò ſanari non poteſt ſequenti etiam longiſſimâ poſſeſſione, propter malam fidem (c), quae ex ipſa interruptione oritur. Simul enim ac Reges noſtri, aut Regni Ordines, nullo titulo niti Pontificiam quaſi poſſeſſionem ſemel dixerunt; neque titulus à Pontificibus oſtenſus eſt, niſi vitioſus; quis eos bonâ amplius fide poſſidere contendat? Idque eò magis, quòd licet jure civili inſpecto juſtum initium ſufficiat ad praeſcribendum (d); ſacris tamen Canonibus eſt conſtitutum, etiam medio tempore bonam fidem *poſitivam* (ut ajunt) eſſe neceſſariam (e).

Neque bonam fidem ſaltem ab initio praetendere Curia Romana poteſt, propter donationis titulum ab eo, quem putabat habere donandi poteſtatem: nam, cùm ſcribant Canoniſtae, Papam habere ſcrinium legum in pectore; veriſimile non eſt neſciſſe, jura dominationis alienari non poſſe, quod ſuperiùs demonſtravimus (f). Vnde conſequitur nedum *bonae fidei* locum patere nullum, ſed *malam* potiùs *fidem* eſſe manifeſtam:

(a) *L. nulla C. de rei vind. l. fin. C. de uſucap. pro hered.*

(b) *Theod. jun. conſtit. in novell. Valentin. tit. 8. Cujac. lib. 18. obſerv. cap. 26.*

(c) *§. diutina inſtit. de uſucap. l. ſi. quis emptionis §. quod ſi quis C. de praeſcr. 30. vel 40. an.*

(d) *C. vigilanti. c. fin. de praeſcrip. c. poſſeſſor. de reg. jur.*

(e) *D. cap. fin. Bartol. tract. de diff. int. jus civil. & can. Guid. Pap. deciſ. 416. Caſtrenſ. conſ. 70. num. 10. lib. 1. Petr. Barboſ. ad rub. C. de praeſcript. 30. vel 40. ann. Parlad. rer. quotidian. lib. 1. cap. 1. num. 15. Neguzant. de pignor. 2. memb. 6. num. 1. Vaſq. illuſt. contr. c. 21. num. 8. & c. 79. Anton. Gabriel. lib. 5. tit. de praeſcript. concl. 1. nu. 57. ubi innumeros allegat.*

(f) *Bald. in proëm. Digeſt. & in Authent. hoc amplius C. de fideic. Papon. arreſt. lib. 5. tit. 8.*

feſtam:& ſic ex duplici defectu praeſcriptionem corruere (a).

Accedit, Principum noſtrorum ſubjectionem fuiſſe merè voluntariam. Etenim adhuc ſi fidelitatis jusjurandum non praeſtitiſſent, nihilo tamen minus imperaſſent: ſicuti ex eo quòd praeſtiterunt, non ideo tutos ab externa hoſtium vi fuiſſe, hiſtoriae docent. Atqui ex actibus voluntariis nulla praeſcriptio vel conſuetudo oriri poteſt, nec etiam poſt mille annos valitura, ut quod liberè feci facere cogar (b): unde ajunt, Principem ſpontè ſe abdicando, nec quidem imperium amittere (c). Liquet igitur, ſummi juris quaſi praeſcriptionem à Romana Curia obtendi non poſſe, neque juſto titulo, neque longâ conſuetudine, neque bonâ fide. Inſpiciamus rem ipſam, an vitio careat. Et quis neget eſſe vitioſam, cùm ex ſui naturâ neque alienari (d), neque in alicujus bonis eſſe poſſit? ac proindè praeſcriptioni minimè (e) obnoxia? Quare in Pandectarum libris legimus, Publicianam actionem poſſeſſori non competere ad res repetendas, quae jure eſſent inalienabiles (f) Praetor enim neminem tuetur contra jus (g). Neque profectò aliâ ratione cautum eſt, nedum liberos homines, res ſacras, religioſasque uſucapi non poſſe, etiamſi bonâ fide poſſidentur (h); verùm neque publicas functiones, ſive tributa, (i) neque jura dominica, neque Reip. (k) neque ſacrorum, quò minùs vendicentur, praeſcriptionem

(a) *Facbin. lib. 8. cap. 28.*

(b) *L. viam de via publ. ubi Gloſſ. & DD. Cyn. in l. 1. C. de ſervit. & aqu. Gabriel. lib. 4. comm. concl. tit. de praeſcript. concl. 10. Panormit. in c. ex parte Aſtenſ. de conceſſ. præben. Doctores in l. qui jure familiaritatis, D. de acqu. poſſ. & alii apud Covarruv. in c. poſſeſſor par. 3. §. 4. in 6. contrac. uſufreq. c. 4. n. 10. & 12. Grot. mar. liber. cap. XII. Gloſſ. in l. ſolet de off. proc. Menoch. de arbit. caſ. 160. n. 10.*

(c) *Arg. l. legatus Cæſaris D. de offic. Praefid. Bartol. proëm. Dig. n. 14.*

(d) *L. omnes fundi, C. de fund. patrimon. lib. XI. l. 2. C. de fundis limitan. lib. XII.*

(e) *Donell. lib. 5. comm. c. 22. & ſequ. Auth. ut null. Judic. §. 1. L. cum tanto. De conſuetud. l. ſed Celſus, D. de contr. emt. l. uſucapionem. D. de uſucap. l. fine, D. eod. cap. ſive poſſ. de Reg. jur. in 6. l. alienationis, D. de verb. ſign. l. ſi fundum, D. de fund. dotal. Felin. ad c. accedentes. De praeſcriptionibus.* (f) *L. ſive autem 9. §. pen. l. ſi ego 11. §. partus 2. l. cum ſponſus 12. §. ſi res, D. de Public. act. l. bona fides 136. De regul. jur.*

(g) *d. l. cum ſponſus.* (h) *§. ſed aliquando Inſt. de uſucap. l. ult. C. de long. temp. praeſcript. C. ad accedentem, c. venerabilis de praeſcript.* (i) *L. competit. 6. C. de praeſcript. 30. vel 40. annor.* (k) *L. 1. C. de praeſcript. long. temp. ubi Gloſ. diſtinctionem adhibet. Abb. in c. venerabilem. qui filii ſint legitimi.*

nem temporum impedire, (*a*) ut ex peculiari Cod. Iuſtinianaei titulo. Unde Papinianus inquit, praeſcriptionem longae poſſeſſionis ad obtinenda loca jurisgentium publica concedi non ſolere; ideoque diruto aedificio, quod in occupato littore fuerat extructum, alioque in eodem loco poſtea excitato, exceptionem opponi non poſſe: & interruptâ ſemel piſcatione, quam in diverticulo fluminis quiſpiam pluribus annis exercuerit; quo minus alter eodem jure utatur nullam obſtare praeſcriptionem (*b*). Et quantum ad jura Reip. illud non leve argumentum addi poteſt, quòd ſicut contra minores non praeſcribitur (*c*), ita neque contra Rempublicam praeſcribi aequum eſt, quae pupillae loco habetur (*d*), & extra ordinem juvanda: & quidem jure civili inſpecto, nam jure gentium non eſt ambigendum. (*e*)

(a) *L. univerſas 2. C. ne rei Domin. vel templor. vendicatio temp. praeſcr. ſubmoveatur.*

(b) *L. praeſcript. C. de oper. public. l. diligent. C. de aquaeduct. l. viam, D. de via publ. l. ult. D. de uſucap. Grot. in Mar. liber. cap. 3. quem vide. D. Ambroſ. I. de Offic. 28.*

(c) *L. non eſt incognitum 3. C. quib. nõ objicitur long. temp. praeſcript.*

(d) *L. Rempublicam, C. de jur. Reipub. lib. XI.*

(e) *L. fin. in princ. D. de uſucap. P. Barboſ. ad l. omnes 4. C. de praeſcript. 30. vel & c.*

LXI. Facile eſſet & expeditum, ex antedictis aliud non minus futile argumentum adverſariorum explodere, ex longâ cenſus ſolutione deſumtum: ſed ut ſingulis ſatisfaciamus, paucis meminiſſe lubet: multum quidem diſtare urbem, vel provinciam tributariam, aut vectigalem à feudo. Rogerius, & Guilielmus Nortmanni, Carolus I. Andegavenſis, & poſterioribus temporibus Carolus V. Imperator Tunetanum Regnum fecerunt ſibi vectigale, non beneficiarium (*f*): Polonia diu fuit Imperio tributaria, non feudali ſervitio obnoxia. Anglia certam pecuniam, quam nummum Sancti Petri vocabant, Eccleſiae Romanae pendebat ad Templi, & Scholae Anglicanae ſubſtentationem: ſed non ideo feudum, ut quidam opinati ſunt,

(f) *Sleid. de IV. ſum. Imp. lib. 9. Jov. Hiſt. lib. 34. Alfonſ. Ulloa vita Carol. V. Summont. lib. 12. Hiſt. Neap.*

(a) *Auguſt. Steuch. de donat. Conſtant. Bodin. lib. 1. de Rep. cap. 1.*

(a) & infinita propemodum adducere in medium poſſem exempla, niſi paſſim apud Hiſtoricos eſſent obvia. Sic porrò accipiendum puto cenſum, Eccleſiae ſolutum à Regibus Neapolitanis; non pro canone quaſi emphyteutico, ut loquuntur, in recognitionem directi dominii. Nam etſi non defuere qui perbelli ſibi viſi ſunt (b), quòd Regnum Neapolitanum teneri in emphyteuſim, non in feudum excogitarunt; inciderant enim fortaſſe in illud Baldi Peruſini (c), & aliorum (d) aſſerentium, feudum, conceſſum pro annuo ſervitio pecuniario, non tam eſſe feudum, quàm emphyteuſim; nihilotamen minus, cùm tanta ſit cognatio inter feudum, & emphyteuſim (e); & utrobique nuda poſſeſſio transferatur, proprietate penes dominum directum manente, (f) ad quem recidere multis modis poſſunt ager, domus, oppidum; helleborum his quoque propinandum puto. Non enim video, an plus Regno tribuant, an adimant libertatis: niſi forte, vulgi errore ducti, piaculum putant origines rerum repetere, Regnique dominium directum Pontificis in dubium revocare. Scilicet ita evenire neceſſe eſt, ubi jus publicum ab iis tractatur, qui nec in jure privato aliud ſapiunt, quàm quod oſcitanter in Pragmaticorum libris legerunt. Nec me latet, cenſum modò majorem, modò minorem in Inveſtiturarum tabulis noſtris Regibus fuiſſe impoſitum, feudi nomine, & pro dominii directi recognitione; ſed cùm directi dominii fabula, (qui fons eſt cùm feudi, tum emphyteuſis) ſatis ſit confutata; in eam cauſſam cenſus eſt accipiendus, quae juri, & libertati non adverſetur.

(b) *Apud Marcian. in reſponſ. de Baliatu Regni.*

(c) *In l. liberti, C. de oper. libertor.*

(d) *Apud Valaſcum de Jur. Emphyt. qu. 39. n. 2. 6.*

(e) *Idem Valaſcus quaeſt. 38. per tot.*

(f) *Conſuet. feud. lib. 2. tit. 8. §. uit. tot. Cod. tit. de Jure Emphyt.*

(g) *L. in eo 32. de reg. jur.*

(g) LXII. Quod

LXII. Quod ſi his non acquieſcunt inſulſiſſimi homines, ſaltem non negabunt ſervitutem Regni eſſe dubiam. Si dubia, judicandum igitur pro libertate (*a*): nam unaquaeque res reputatur libera (*b*), & potiùs allodialis, quàm feudalis. (*c*)

LXIII. Sed legulejis has ineptas ratiunculas relinquimus, quando agitur jure gentium. Jus verò gentium juſtum titulum, & poſſeſſionem requirit, nunquam interruptam, nunquam interpellatam; *uno, perpetuoque tenore juris ſemper uſurpato* (*d*) (ut Sulpitius apud Livium loquitur) *nunquam intermiſſo*, nemine *ambigente*. Atqui ex ſuperioribus luculenter apparet, pluries de jure Pontificis in Regno Neap. fuiſſe dubitatum; ſaepiſſimè quoque Inveſtituras in caſſum cecidiſſe, non minus ac Pontificios conatus de Regibus abdicandis, aut imponendis. Fruſtra enim Clemens III., & Celeſtinus III. Henricum VI. Caeſ. in Tancredum Nortmannum armarunt; fruſtra Innocentius III. Gualterium de Brenna in domum Svevicam furere permiſit; fruſtra Innocentius IV. Carlottum Anglum adversùs Manfridum evocavit; fruſtra Carolum III. Andegavenſem Urbanus VI. minis terruit; fruſtra Martinus V. Ludovicum III., Galliae Regis filium, Carolum verò VIII. Alexander VI. excivere (*e*); fruſtra Renatum Andegavenſem, & Johannem Lotharingum ejus filiū Caliſtus III. & Innocentius VIII. ſtudiosè tutati ſunt (*f*), faceſque civili incendio ſubmiſere: tametſi Johannem à conjuratis Regni proceribus, non à Pontifice appellatum alii ſcribunt (*g*). Ut non immeritò illud Numidarum, adversùs Carthagi-

(a) *Bald. in l. libertus de jur. perſon.*

(b) *L. ſi quis aedes 39. D. de ſeruit. urb. praed. l. 1. & l. altius 8. C. de ſervit., & aqua, l. libertas 4. de ſtatu hom. l. ſi cujus, D. de uſufruct.*

(c) *C. 1. §. inter filiam. ſi de feud. defunct. contr. ſit. int. dom. & vaſſal. c. 1. §. ſi inter. De controv. inter maſcul. et foemin. Afflict. dec. 277. n. 6. Alciat. conſ. 429. n. 12. & alii apud Valaſc. de jur. emphyt. quaeſt. 51. nu. 1. & 2. Clarus, §. feudū qu. 18. n. 2. Vrſill. addit. ad Afflict. deciſ. 277. num. 4. Borcholt. in Comment. feud. p. 2. n. 14. Gabriel. comm. concluſ. tit. de feud. lib. 3. concl. 3. Mynſing. cent. 5. obſerv. 25. n. 4. l. ſiue poſſidetis 16. C. de probation.*

(d) *Liv. lib. 34. & 35.*

(e) *Albin. de bello Gallico.*

(f) *Albin. de bello inteſt., Pontan. de bell. Neap. lib. 1. Collen. lib. 6.*

(g) *Ricc. de Reg. Sicil. lib. 4.*

nienſes excipientium, à nobis uſurpari poſſit (a)

(a) Livius lib. 34. *Per opportunitates nunc illos, nunc Reges* Neapolitanorum *uſurpâſſe jus; ſemperque penes eum poſſeſſionem fuiſſe, qui plus armis potuiſſet.*

LXIV. Non igitur jure gentium Pontifex Maximus ſummam dominationem praeſcripſit in Regno Neapolitano; neque jure civili: ſed nunquam titulum directi dominii ſibi peperit neque jure belli, neque electione, neque ſucceſſione, neque donatione; nullum itaque jus in Regno habet, quod erat demonſtrandum.

LXV. Hinc omnes facilè intelligere poterunt, quantùm ſint Eccleſiaſticae dignitatis, amplitudiniſque conſervandae ſtudioſi, qui ſingulari malitiâ, atque impudentiâ Clementem XI. Pontif. Max., virum ceterà eximiae pietatis & doctrinae, eò adegerunt, ut Regni inveſtituram potentiſſimo Regi Carolo III. hactenus non detulerit. Conjectabant prudentiores, ſapienter & è Chriſtianâ Rep. eum feciſſe, qui Sereniſſimi Andegavenſis precibus minimè permotus, *Inveſtituram* legitimo Hiſpanienſis Monarchiae ſucceſſori reſervaſſet. Sed, cùm eos opinio fefellerit, nunc univerſi in eam deſcenderunt ſententiam, ut quidam exiſtiment, ideo Sereniſſimum Andegavenſem tunc inveſtitum (ut loquuntur) non fuiſſe, quia Clemens Caeſarianum militem, immo judicium Europae pertimeſcebat: nunc Carolo III. Inveſtituram non deferri, quia Caeſarem potentiſſimum habet fratrem, citiùs iſthoc pacto antiqua Italiae jura repetiturum: quidam verò palam dicunt, Pontificem eſſe abreptum ſtudio partium, & Gallico potiùs imperio, quàm Eccleſiaſticae juriſdi-

ctioni

ctioni favere. Nam ſi pergit ita facere, ut nunc quidem facit, quem habet, quaeſo, vadem praedemve, qui ſpondeat, fore ut ab Arce Tarpeja velit Carolus Neapolitani Regni diadema expectare potiùs, quàm jure gentium ſibi met ſumere? Quis ſtupor? Non dicam aliud. Jure inquam gentium. Quis enim uſpiam legit tantam bellicae virtutis laudem, quantam expedita breviſque Caeſarianorum militum manus in expugnandis munitiſſimis arcibus adepta eſt? Quis tantam ſubditorum alacritatem, victricibus aquilis fauſta quaeque acclamantium? quis tantum Neapolitanorum ſtudium, ad XII. uſque ab urbe lapidem obviam cum feſtis ramis exeuntium? Neque haec ab inerti vilique plebecula, aut ab hominum tantum colluvie, undique ad expectatiſſimae rei novitatem ex agris, pagiſque confluente; ſed ab honeſtiſſimis civibus, & arma geſtantibus, qui & congredi cum hoſte potuiſſent, ſi hoſtis occurreret, & nulla in tergo vulnera, plurima in pectore fuiſſent excepturi. Anne putant haec fuiſſe facturos, ſi Regem Româ expectare maluiſsent? Gerrae germanae, nugae merae. Profectò illud efficient, qui ad Pontificis aures nihil non pro calamitate Italiae quotidie obmurmurant, ut, ſublato Inveſtiturae accipiendae more, Reges noſtri poſthac belli jus, ſubditorumque voluntatem ſatis ſibi ſuperque ad legitimè imperandum ducant. Nam quæ iſthaec eſſet amentia, imperia, pulcherrimis titulis parta, beneficii loco à quopiam accepta profiteri? & ab eo quidem, qui nullum habeat jus in re?

Neque nos ſumus ingenio adeò hebetes, ut facilè

cilè non aſſequamur, non aliam ob rationem praeteritorum temporum memoriâ Pontifices impensè ſollicitos fuiſſe de *Inveſtitura* aut potentioribus, aut poſſeſſoribus, aut utriſque tribuenda; niſi quia actum fore de Eccleſiaſtica in Regno poteſtate exiſtimabant, ſi quiſpiam Regum aliâ, quàm Eccleſiae auctoritate rerum potiri videretur. Hinc, quod monſtri loco habitum eſt, inveſtiturâ per idem ferme tempus nitebantur Carolus I. Andegavenſis, (a) & Carlottus frater (ſive, ut alii tradunt, Edmundus filius) Henrici Angliae Regis: Johanna I., (b) Carolus III. Dyrrachienſis, & Ludovicus, Johannis Galliarum Regis filius: Johanna II., (c) & Ludovicus III. Andegavenſis: Alfonſus Aragonius, (d) & Renatus Andegavenſis, Ludovici F., Fridericus Aragonius (e), Ferdinandus cognomento Catholicus, & Ludovicus XII. alter in alterius perniciem concurrentes. Vtinam verò haec nunquam accidiſſent: quamplurima oppida, urbeſque quondam florentiſſimae adhuc ſtarent, quarum vix ſuperſunt ſemjuſtulata ſaxa, Templorumque rudera, ferarum nunc latebrae, & paſtorum, agricolarumque parum firma domicilia.

(a) *Ricc. lib. 2. in fin. Collen. lib. 4. Plat. in Clem. IV.*

(b) *Collen. lib. 5. Vol. M. S. de Juriſd. in Archiv. Reg. Neap. Conſtant. lib. 7.*

(c) *Collen. lib. 5.*

(d) *Collen. lib. 6. Ricc. lib. 3.*

(e) *Thom. Coſt. Animad. ad Mambr. Roſ. ad ann. 1497. M. S. de juriſdict. vol. 1. Ricc. de Regib. Hiſpan. lib. 3.*

Aſt ita factum oportuit, ut Eccleſiaſtica jura ſtarent. Tantine tunc fuit Eccleſiaſtica jura ſtare, nixa caedibus, & ſanguine multo? nunc contra tam nihili? quando, rebus pacatis, nullum impendet Reip. detrimentum? Inquiunt verò, adhuc de legitima ſucceſſione, ſi Diis placet, non liquere: expectandumque funeſtiſſimi belli exitum, quod inter potentiſſimos aemulos, magnis utrinque animis geritur. Proh ſcelus!

proh

proh Dii immortales! Redigentne nos ad insaniam adversarii? Quid si apud Nasamones, aut Ichtyophagos, non in Europa, atque adeò in ipsa luce Italiae versaremur? Quid si tot doctissimi viri de juribus Augustae Domus egregiè non scripsissent? Et quisnam pronunciavit non liquere? Praetorne urbanus, an qui jus dicit inter peregrinos? Atqui haec caussa ad Edictum Praetoris non pertinet. Anne in Senatu Consul de hac re verba fecit, in eamque sententiam facta est discessio, praescriptumque est, & in tabulas relatum: Non liquere? Atqui nullus jam Senatus, Consul nullus, Purpuratorum Patrum nulla in Reges potestas. Armis, non verbis decernendum est; militari scientiâ, non Lege Agrariâ, aut Clodiâ. Istud idem, inquiunt: Exitus armorum expectandus est: quique manu capiet, capiat & lege. Nempe cùm nullum meritum, nulla gratia? Atqui jam manu Neapolitanum Regnum captum est. Satisne id erit? Immo sic licet argumentari. Aut jure successionis Carolus Regno Neapolitano potitus est, aut jure belli. Si primum, non est investitura feudi antiqui, sive potius confirmatio investiturae deneganda, nisi malit directus dominus iniquus esse, & jure suo cadere(a): si secundum, prior igitur Dominus directus proprietatem amisit jure gentium: non est cur novus Dominus aliunde petat, quod domi habet. Equidem alterutrum ho-

(a) *C. 1. de success. feud. 1. F. 8. c. 1. de success. fratr. 2. F. 11. c. 1. de form. fidelit. 2. F. 6. c. 1., qui success. feud. dar. tenentur. 1. F. 3. Cujac. lib. 12. feud. tit. 4. de invest. veter. vel nov. benef. DD. in c. 1. quae fuit prim. caus. benef. amitt. 2. F. 24. C. Imperialem, §. praeterea. De prohib. feud. alien. per Frideric. 1. F. 55. c. 1. in princ. quae sit investitur. 2. F. 2. c. 2. vers. quid autem de consuet. recta feud. 2. F. 23. Petr. de Gregor. de concess. feud. par. 8. q. 16. n. 9. c. 1. quo temp miles investitur. petere debeat 1. F. 22. c. 1. §. fin. 2. F. 52. c. 1. in pr. De cap. Corradi 2. F. 40. ibique Bald. DD. in c. veritatis de jurejur. Abb. cons. 3. n. 7. part. 2. Valasc. de jur. emphyt. qu. 38. n. 15. ex Bartol. in l. 1. §. permittitur. D. de aqu. quot. & aestiv. & in l. 1. D. de privileg. creditor. Gloss. in c. unico quemadm. feud. ad fil. pertin. Tiraquell. praefat. 1. retract. num. 41. Clarus, v erbo feud. qu. 87.*

horum verum eſſe neceſſe eſt. Aut injuſtum eſſe Pontificem, qui *Inveſtituram* non tribuat; aut juſtum ſuique tenacem juris Carolum ſi inveſtituram non curet. Utrum mavultis, Patres conſcripti? utrum eligitis? ferte ſententiam: quid moramini? Numquamne? . . . . . Sed videant Romanenſes, quandoquidem ad ipſos ea cura pertinere debet, inſpicere, num è re ſit Pontificiae auctoritatis, ſucceſſori legitimo vaſſalli, eidemque poſſeſſori confirmationem antiqui feudi (ut ipſi volunt) in longum trahere. Nos de fumo, & umbra non contendemus. Equidem majores noſtri, religioſiſſimi mortalium, piaculum duxerunt à receptis ſemel opinionibus, veteribuſque inſtitutis, ne latum quidem unguem diſcedere: quaſi verò qui ante eos vixerunt quodammodo divinitatem fuiſſent conſecuti, atque omnino errare non potuiſſent. Quis neſcit, Antipodas, Nili caput, ſanguinis curſum, aliaque ſexcenta, cum ipſa rerum univerſitate orta, diuque ignorantiae tenebris involuta, maximiſque contentionibus pernegata; fuiſſe tandem patrum, avorumque noſtrorum memoriâ detecta, ſummâque cum laude illuſtrata? Sic quoque Regni Neapolitani libertatem, ex omnibus hiſtoriarum monumentis, aequitatiſque regulis manifeſtiſſimam, diu tamen neglectam jacentemque, nemo quidem prudens rerū aeſtimator vitio nobis dabit, quòd ſcripto tandem in lucem protraximus, ereximus, confirmavimus. Neq; ullus dubito, quin Rex noſter potentiſſimus, pro ſua egregia in Remp. pietate, daturus ſit operam, ut & ſubditi intelligant, ſe jure Gentium regnaturum, & habeat poſteritas unde

ca-

capiat exemplum ſapientiae , & fortitudinis : Principem nobis fata dedere , cui parem non licet invenire, non licet ſecundum ; qui, tanquam legitimusReip. tutor,numquam ejus jura propter neglegentiam patietur imminui ; & ſi quae ſuperiorum temporum oſcitantiâ , aut deſidiâ imminuta fortaſſe ſunt , in integrum reſtituet. Non illum ſpes, non metus , non adverſa , non ſecunda quicquam loco movent, non dejiciunt, non abripiunt. Virtuti praemia ampliſſima, ſceleri debita ſupplicia propoſita habet . Bellicam in eo fortitudinem , ſummamque clementiam , quarum rara eſt ad modum concordia, vel ipſi hoſtes admirantur : bonarum artium ſtudia tanto amore proſequitur,ut nihil magis; & cùm plurima calleat, ad ſingula tamen videri poteſt ab ipſa Natura inſtitutus: quibus divinis profectò animi ſui dotibus & avitum imperium vindicabit , & vindicatum efficiet quàm maxime diuturnum,florentiſſimumq;Nos verò, quamquam ſummis laudibus omnes digniſſimas exiſtimamus; illam nihilominus prae ceteris in Optimo Principe virtutem nunquam non ſuſpiciemus , quae nobis cum libertate beatam tranquillamque vitam , ſibi aeternum decus , immortalitatemque comparabit.

INDEX

A

Administratoris munus 60.
Aerarium est Reipub., Fiscus Principis 59.60.
Affirmare, vel negare non mutat substantiam rerum 55.
Agathocles Siciliae Tyrannus Regem se vocat 77.
Aistulphus Langobardus Eutychium Exarchum Italiâ pellit 34.
Alexander Magnus Darium deridet 43.
Alexandri II. Pont. Expeditio in Regnum Neap. 9.
Alexandri IV. arma adversus Manfridum nothum 20. *ejusdem mors* 20.
Alfonsus Castellae Rex, & Philippus Valesius invicem ligii 54.
Alfonsus Aragonius successorem sibi facit Ferdinandum nothum 27.
Alfonsus II. Florentinorum stipendia meret 54.
Alienatio in detrimentum Reip. rata non habetur 62. 63. *Vide Regna, Bona.*
Anacletus Antipapa salutatur 12. *Regium titulum concedit Rogerio III. ibid.*
Andegavenses Regnum acceperunt à Pontifice 85. *quibus legibus* 86.
Angli subjectionem erga Pontif. Jo: Ballioli ratam non habuere 64. *nam jure non nitebatur* 72. *tributarii Ecclesiae* 97.
Apulia, & Sicilia num per sententiam Pontif. Ecclesiae addictae 33. 34. *Num donatae à Carolo Magno* 36.
Aragisus Langobardus feudi jure Beneventanum Ducatum obtinet à Carolo M. 37.
Arma Neapolitanorum Regum in ditionem Ecclesiae 22.
Atenulphus Nortmannus Graecos vincit 44.

B

Bartoli sententia de donatione Constantini 56.
Bartholomaeus de Capua laudatus 87.
Bellarmini sententia de Regnis à Pontifice ablatis 33. *de Regibus abrogandis* 73.
Bello capta fiunt capientium 43. *quibus modis* 51.
Bellum justum, sive legitimum quale 6.
Benedicti XIII. Bullae parvi habitae in Galliis 71.
Beneventum à Gisulfo Salern. Principe captum 9. *à Roberto Guiscardo Eccl. restitutum ibid. à Carolo M. Aragiso Langobardo concessum* 37. *Siconi traditum à Ludovico Pio* 39. *Ecclesiae concessum ab Henr. II. Caes.* 47.
D. Bernardi epistola ad Lotharium

Caesarem 78.
Bona Regni non sunt Regis, sed dignitatis 56. *sunt inalienabilia* 59. *etiam in Regnis bello partis* 59. 61.
Bona minorum non praescribuntur, neque publica 97.
Bonifacii VIII. simultates cum Philippo Pulchro Gall. Rege 70. *ejus merita à Platina memorata* 71. *Idem investituram Regni Sardiniae Jacobo Aragonio tribuit* 71. *Ejus sententia irrita decreto Clementis V.* 71.

C

Carlottus Angliæ Regis frater Regno investitur 85.
Carolo III. Austrio investitura citra injuriam denegari non potest 103. *ejus laudes* 105.
Carolus Magnus à Populo Romano electus Imp. 37. *Nicephorum Imp. Constantinop. risui habet* 43. *nuptias Irenes affectat* 38. *à Leone III. Pontif. coronatus* 72.
Carolus I. Andegavensis ab Urbano IV. Regni Neap. titulo donatus 20. *Manfridum vincit* 21. *armorum jure regnat* 26. *confirmatur à Clemente IV.* 85. 86.
Carolus II. à Nicolao II. confirmatur 86. *captivus in Hispania* 88.
Carolus Roberti filius Florentinorum stipendia meret 54.
Carolus VIII. annuente Alexandro VI. in Regnum movet 99.
Census Regni Neap. in quam caussam Ecclesiae solutus 98.
Childericus Galliae Rex Regno dejectus consilio Zachariae Pontificis 70.
Clemens III. arma in Regnum movet frustra 18 *Tancredo Nortmanno adversus, ibid. &* 26.
Clemens IV. Regnum confirmat Carolo I. 85. *quibus legibus* 86.
Clemens V. Regnum Roberto confirmat 86. *controversiam dirimit inter Robertũ, & Carombertum* 86.
Clemens XI. laudatur 100.
Coelestinus III. Henricum VI. è Germania evocat adversus Tancredum Siciliae Regem 19. 81.
Constantia, Guiliemi II. soror, è monasterio educitur, & Henrico II. Caes. nuptui datur 81.
Constituens major constituto 42.
Conradinus injuriâ privatur Regno 85.
Conradus, Friderici II. filius, minus justè Regno privatur 85. *veneno sublatus à Manfrido ibid. ejus responsum ad Legatum Pontif. ibid.*
Consensus plurium requiritur ubi de plurium interesse agitur 63. 64.
Constantini M. donatio quid continebat 29.
Contraria allegans non est audiendus 29.
Controversia de jure investiturae inter Innocentium II. & Lotharium Caesarem 12.
Controversia de successione Regni inter Robertum, & Carolum Humbertum 86. 87. 89. *inter Hugonem Lusignanum, & Marium Boëmundi F. de Regno Hierosolymitano* 89.
Curiae Romanae artes 82. 102.

D

David à caede Saulis abſtinet 16.
Deus ſolus Judex Principum 16. *malos Principes dare ſolet in poenam populorum* 17.
Dominandi cupidi nihil habent ſanctum 77.
Dominium Regnorum quibus modis amittatur 15.16.
Dominium rerum ex pluribus cauſis eſſe non poteſt 36.
Donatio Conſtantini Magni 29. 30.
Donatio Caroli Magni quid Eccleſiae adjecit 36.
Donatio Pipini facta Eccleſiae 35. *Ludovici Pii* 38. *Othonis Primi* 41.
Donatione num Eccleſia Regnum acquiſiverit 28.29.
Donationes immodicae Principum revocantur 63.64.
Dos eſt in dominio civili viri 60. *quomodo differat ab aerario Reip. ibid.*
Duclianus Catapanus à Nortmannis fuſus 44.
Dux Gueldrius Regis Galliae quomodo ligius 54.

E

Ecclesia non debet cum aliena jactura diteſcere 47.65.72.
Eugenii IV. copiae auxiliares ad Renatum Andegavenſem 22. *litterae ad Neapolitanos* 27. *cum Alfonſo Aragonio foedus* 28.
Eutychius Exarchus Neapoli 32. *Italiâ ejectus à Langobardis* 34.
Exarchatus Ravennas Graecis ereptus 35.
Exarchus cur in Italiam miſſus 30.
Exemplorum vis legibus non praevalet 42.
Exhilaratus Dux Campaniae à Romanis occiditur 32.

F

Factum non ſpectandum, ſed quod fieri debuit 74.
Ferdinandus Aragonius Rex deſignatus 27.28.
Ferdinandus Catholicus quo jure Regnum Neap. ad ſe pertinere dicebat 59.
Feudale, & tributarium multum differunt 97.
Feudum quando dicatur apertum 21. *non poteſt ſine voluntate vaſſalli in alium transferri* 21.
Feudi, & emphyteuſis cognatio 98.
Feudi dominus jure ſuo cadit, ſi inveſtiturae confirmationem ſucceſſori vaſſalli denegat 103.
Fides non eſt fallenda 57.63.
Fiſcus eſt Principis, aerarium Reip. 59.60.
Fridericus II. Caeſar Venetos Pontificis foederatos Apuliâ expellit 19. *malè de Eccleſia meretur, piorumque communione privatur, & regno Neap.* 84. *moritur in Apulia* 84.

G

Galba largitiones Neronis revocavit 64.

Germanorum militum laus 101.
Gherardus Card. Parmenſis Legatus ad Regnum gubernandum 87. *ſed non admiſſus* 88.
Gherardus Card. S. Hadriani Legatus in Siciliam 83.
Giſulfus Salern. Princeps Beneventum capit 9. *Leonem Pont. praelio ſuperat ibid.*
Gotfridus, Mathildis conjux pro Eccleſia ſtat adverſus Nortmannos 10.
Graeci in Apulia oppreſſi 44. *Italiam non habebant pro derelicta* 51.
Gregorius Card. de Galgano legatus in Siciliam 83.
B. Gregorius Papa Pantheon à Phoca Imper. obtinet 31.
Gregorius II. Imperatorem dominum appellat 31. *Italos ad defectionem à Graecis impellit* 31. 32. 33. *ejus conatus ne Exarchatus Graecis redderetur* 35.
Gregorius VII. movet contra Nortmannos 10. *eoſdem diris devovet ibid. in gratiam recipit quibus legibus* 11.
Gregorius IX. fruſtra Fridericum II. conatur Regno dejicere 19.
Gregorii XIV. Bullae ludibrio habitae ab Henr. II. Gall. Rege 71.
Grotii ſententia refellitur 59. 61.
Guaimarus Salern. Princeps Nortmannorum potentiae fundamenta jacit 44.
Gualterii de Brenna infelices conatus 83.
Guilielmus Ferrabrachius Nortmann. Dux 45. *cum Philippo Rege Macedoniae comparatus* 45. *Comitem ultro ſe appellat* 46.
Guilielmus II. Dux Apuliae 74.
Guilielmus malus bellum gerit cum Hadriano IV. 13. *Graecos vincit* 14. *à Pontifice in Regno confirmatur* 14. *regnare jam antea ceperat* 79. *immo Rex appellatus ab Imp. Graeco* 80.
Guilielmus III. moritur 18.
Guilielmus IV. praeter fidem caſtratus ab Henrico VI. 83.
Guilielmus Roberti Guiſcardi filius ditione exutus apud Principem Salernitanum exulat 11. 77.

H

Hadriani IV. expeditio in Regnum 13. *idem obſeſſus Beneventi* 14.
Hadriani II. tentamina in Regnum Galliae 70.
Hadriani IV. expeditio in Guilielmum malum 13. *ejuſdem artes* 14.
Henricus I. Caeſ. Guaimarum in Principatu Capuae reſtituit 46.
Henricus II. adverſus Nortmannos in Italia 46. *Beneventum Eccleſiae largitur* 47.
Henricus VI. Caeſar à Coeleſtino III. Regni Neap. titulum accipit, quibus legibus 19. 81. 82.
Henricus VII. Robertum Andegavenſem Regno exciſum pronunciat 41.
Heres non poteſt ſervos manumittendos alii tradere 57.
Hieroſolymitanum Regnum an feudum Eccleſiae 89.
Hildebrandus Card. Nortmannos domat 10.

Hunfridus Apuliae Comes copias infestas in ditionem Ecclesiae ducit 47.

I

Imperatoris eligendi potestas 72. 73.
Imperatores Constantinop. Italiam animo retinebant 35.
Imperatoris Romani est creare Reges 80.
Imperio Graecorum quota pars Italiae addicta 40.
Imperium est juris gentium 42. *est cura salutis alienae* 58.
Innocentius II. Regem Siciliae facit Rogerium III. 25. *adversus eumdem movet* 11. *capitur* 11.
Innocentii VIII. copiae adversus Aragonios Reges 22.
Innocentius II. bellum suscipit in Rogerium III. 11. *capitur, & liberatur* 12. *in Gallias fugit* 12.
Innocentius III. tutor testamentarius Friderici II. Imp. 83. 84.
Innocentius IV. Svevicae domui infensus à Neapolitanis armatus recipitur 20.
Interregni vires 21.
Investitura Regni à quo delata 12. 13.
Investitura Rogerii III. dubia 75. 79. *Henrici VI. vitiosa* 82. *Caroli primi* 85. 86. *Caroli II. & Roberti* 84. 86. *pluribus per idem tempus delata* 102.
Johannes Balliolus Rex Angliae Ecclesiae subjicitur frustra 64. 72.
Johannes Patr. Alexandrinus 27.
Johannae II. adoptivi duo contendunt 26. 27.
Johannes Andegavensis, Renati filius 99. 102.
Irene Imperatrix de avulso Occidente conqueritur 40. *à Carolo M. in uxorem expetita* 38.
Judex nemo in causa propria 30.
Juramentum est irritum si vergit in damnum Reip. 64. 65.
Jus imperii quando legitimè tradatur 23. *est inalienabile* 59. *reservatus in donationibus Caroli M. & Ludovici Pii* 36. 37. 39. *quas vires habeat* 61.
Justum bellum quale 6.

L

Ladislaus Rex Neap. ter Româ potitur 23.
Legibus non exemplis judicandum 42.
Leo III. Carolum M. Imperiali diademate coronat 37.
Leo III. Imp. piorum communione privatur à Gregorio II. 33. *& Imperio à Gregorio III.* 34.
Leo IX. Pont. Nortmannos suspectos habet 47. *Capuam diris devovet* 47. *cum Nortmannis bellatur* 48. *à Gisulfo praelio superatur, & capitur* 9.
Liberalitas inordinata à vero abhorret 30.
Libertatem naturalem quando subditi consequantur 15. 21. *ejus vires* 23.
Libertatis favore judicandum in dubiis 99.
Ligium quid significet 54.
Loca publica juris gentium non praescribuntur 97.

Lotharius Imp. Innocentium II. in Italiam reducit 12. *eorumdem controverſia de jure inveſtiturae* 13.41.

Ludovici Pii donatio facta Eccleſiae 38. *Idem reſpondet Gregorio IV. Siciliam ad ſe non pertinere* 42.

M

Majeſtas alienari nequit 56.

Mandati judicium turpius quàm furti 60.

Manfridus nothus Innocentium IV. Neap. degentem fraudulenter adit 84. *Conradum fratrem veneno enecat* 85. *Regno potitur, nequicquam negotium faceſſente Alexandro IV. Pont.* 20.85. *à Carolo Andegavenſi victus* 21.

Manuelis Comneni foedus cum Hadriano IV. adverſus Guilielmum Malum 13.

Manuel Comnenus Guilielmum Malum Regem Siciliae facit, quibus legibus 80.

Martinus IV. Regnum Aragonum Carolo Valeſio concedit 71.

Mathildis teſtamentum Imperio non obfuit 51.

Mens, non verba ſpectanda 53.

Minorum bona non praeſcribuntur 97.

Molochus Catapanus Nortmannos ſibi adjungit adverſus Saracenos 45.

Monaſteriorum amplificandorum abuſus Neapoli 65.

N

Neapolis à Riccardo Cap. Principe obſeſſa 10. *ab Imp. Graecorum avulſa* 12.24. *num ab Innocentio II. Rogerio III. conceſſa* 25. *In fide Graecorum permanet in defectione Italica* 32. *à Friderico II. Caeſ. deficit* 84.

Neapolitani num interregni tempore Eccleſiae ſe tradiderint 25. 26. *XVI. viros conſtituunt poſt obitum Johannae II.* 27.

Neapolitanorum defectio à Guilielmo malo ad Pontificem 13. *à Svevis ad Pontificem propter ſaevitiam* 20.84. *ad Eugenium IV. reſponſio* 27. *Studium erga Carolum III. Auſtrium* 101.

Neapolitanum Regnum ſub Langobardis, & Graecis 24. *an unquam in libertate naturali* 24. *num per ſententiam ademtum Leoni Iconomacho* 33. *num ab Othone primo Eccleſiae donatum* 41. *num à Conſtantino M.* 30. *num à Carolo M.* 36. *aut à Ludovico Pio* 38.39. 40.

Nemo dat quod non habet 38.42. 51.

Nemo vaſſallus duorum dominorum inſolidum 51.

Nicolaus II. Roberto Guiſcardo Apuliam, & Calabriam confirmat 49.

Nortmanni propriâ virtute Regnum adepti 25. *à parvis principiis ad ſummam rerum elati* 43. 44. 67. *victi à Graecis* 44. *eoſdem vincunt ibid. Appulis ſe adjũgunt* 44. *Italiam appetunt* 45. *Imperio Occidentali ſe ſubjiciunt* 46. *cum Leone III. Pont. bella gerunt* 48. *num propriâ pecuniâ militem legerint* 66. *quando extincti* 81. *Be-*

ne-

nevento potiuntur 9. *Tunetanum Regnum faciunt vectigale* 97.
Numidarum adversus Carthaginienses dictum 100.

O

Obedientia praestanda Principibus etiam discolis 17.
Occidentalis, & Orientalis Imperii limes 40.
Ordines Regni dicto Pontificis minimè audientes 27. *Ferdinando Aragonio sacramento obstricti* 28.
Otho IV. Imp. Regnum brevi capit, & amittit 83.
Othonis primi jusjurandum favore Pontif. 72.

P

Pactiones Principis electi cum Rep. servandae sunt 57.
Papa. vide Pontifex.
Si feudum accipere vult fidelitatem jurare debet 52.
Perduellionis detur ne unquam caussa legitima 16. *vires* 17.
Petitur frustra quod habetur 43. 50.
Petrus Aragonum Rex singulare certamen detrectat, piorumque communione privatur 71.
Pipini donatio facta Ecclesiae 35.
Platina taxatur 13. 67. 88.
Polonia Imperii Romano-Germanici fuit tributaria 97.
Pontifex Rom. summum in Italia Imp. non habui à Carolo Magno 37. 38. *summam habet potestatem in spiritualibus* 52.
Pontifices Romani annum Imperii Graeci in bullis apponebant 70. *possessionem obtendunt tradendi Investituram Regni* 74. 81. *eorum conatus irriti plerumque in nostros Reges* 99.
Praescriptionum locum habeat in Regnis 13. *& seq. Iniquitatis perfugium* 74. *quando vires habeat* 79. 81. *non obtinet in iis, quae sunt publici juris* 97. *jure gentium quae requirat* 99.
Princeps jura Imperii invitis subditis alienare nequit 56. 59. *neque in Ecclesiam* 65. *debet augere Remp.* 57. *est veluti tutor* 57. 59. *restituitur in integrum* 63.
Princeps summus quomodo possit fieri alterius vassallus 68.
Principatus successivi propria 58.
Principum solus Deus Judex 16. *Officium salus publica* 57. *successio non est tamquam heredum* 58.
Privilegium restituendi condemnatum nullius momenti est 61.
Promissa contra salutem publicam servanda non sunt 57.

R

Ranulfus, Aversae Comes Ardoino Lombardo opem fert adversus Graecos, quibus legibus 34. *in gratiam receptus ab Henr. II. Caes.* 46. *Confirmatas à Conrado* 46.
Reginulfus Dux Apuliae, & Calabriae impositus à Lothario 12. *& ab Innocentio II.* 13. 78.
Regnum Hierosolymitanum liberum 89. *Re-*

Regum abrogandorum licentia Reip. perniciosa 15.
Reges à Deo solo puniendi 16.
Regum Neapolitanorum arma in ditionem Ecclesiae 22. 23. *eorumdem subjectio erga Ecclesiam personalis tantùm* 68.
Regum successio, & electio quomodo accidat 23.
Relatum est in referente 39.
Res transeunt cum onere 51. *publici, divinive juris in nullius bonis sunt* 61. *dissolvuntur iisdem modis, quibus sunt constitutae* 82.
Resp. non debet poenam ferre propter crimina Principis 33. *ejus salus omnibus rebus anteferenda* 57. *habetur loco pupillae* 59. 97. *eodem favore gaudet ac Ecclesia* 65. *feudum non potest fieri facto Principis* 68.
Richardus Capuæ Princeps Neapolim obsidet 10.
Richardus Com. Aversanus Capuam occupat 47.
Robertus Andegavensis Florentinorum Imperator 54. *Regno excisus pronunciatur ab Henrico VII. Caes.* 41. *investitur à Pontif.* 86.
Robertus Comes Namurcensis quomodo ligius Regis Angliae 54.
Robertus Comes Atrebatensis ad Regnum gubernandum missu 88.
Robertus Guiscardus Salerno potitur 9. *Beneventum Ecclesiae reddit. ibid. obsidet* 10. *Ecclesiae ditionem aggreditur ibid. à Gregorio VII. communione piorum privatur* 10. *restituitur certis legibus* 11. *in Nicolai IV. verba jurat* 48. 55. *sine subditorum damno* 55. *Bajelardo nepoti ditionem adimit* 49. *ejus artes* 50. *cum Alexandro II. & Gregor. VII. bella gerit* 53.
Rogerius II. succedit Ruberto Guiscardo 74. *Ejus investitura dubia* 75.
Rogerius III. Guilielmũ imperio privat 11. 76. *cum Innoc. II. bella gerit, & vincitur, & vincit* 11. *Regem se Italiae dicit. ibid. à filio Guilielmo obsidione liberatur. ibid. captum Pontificem liberat.* 12. *Neapolim recipit* 24. *Anacleti partes fovet, à quo Rex salutatur* 12. *à Lothario Caesare ditione spoliatur ibid.* 78. *denuo potitur* 13. 78. *Regii tituli confirmationem accipit* 13. *Neapolim obtinet* 25. *confirmatur ab Honorio II.* 75.
Roma cur ab Imperatoribus relicta 30. 31. *quomodo in potestatem Pontificis pervenerit* 32. 42.
Romani à Graecis deficiunt 32. *Carolo M. acclamant* 37.
Romani à Vologeso Parthorum Rege ludibrio haberi putant 43. *jus imperii magnifaciebant, inania transmittebant* 50.

S

Saraceni Siciliâ pulsi 45.
Scoti auxilium Pontificis implorant 46. *ratam non habuere subjectionem Jo: Ballioli erga Regem Angliae, nec erga Ecclesiam* 72.
Scripturarum diversitas fidem adimit

mit 29. *dubietas quomodo dirimenda* 30.
Sententia Gregorii II. & III. adversus Leonem Isauricum 33.34.
Sententia eorum exploditur, qui Regnum teneri ajunt Ecclesiae in emphyteusim 98.
Sergius Neapolis Dux Rogerio III. se, & urbem dedit 24.
Sicilia num à Carolo M. Ecclesiae donata 36.
Sigonius taxatur 10.55.
Stephanus II. Pipinum in Italiam pellicit 35.
Subditi Pontificis ultro Rogerio III. se dedunt 22. *& Ladislao* 23.
Subditi quando libertatem naturalem adipiscantur, ut Regem sibi novum creare possint 15. 23.
—— *Obedientiam debent Principibus etiam discolis* 16. 17.
—— *Perduelles in alium transferre imperium nequeunt* 24.
Subditis invitis alienatio nequit fieri à Principe favore Ecclesiae 65.
Successio Regnorum defertur jure sanguinis 58. 59.
Successores Regum non tenentur sponsionibus decessorum in damnum Reip. 63.

T

Tancredus nothus Rex salutatur 18. 26. 81. *Rogerium filium consortem Regni facit* 18. *Clementi III. resistit ibid.* 26. 81. 82.
Tributa cur solvuntur Principi 60.
Tunetanum Regnum vectigale factum à Nortmannis, &c. 97.
Tutela Regni Siciliae ab Innocencentio III. per legatos administrata 83.
Tutoris officium rem pupilli salvam facere 58.

V

Vassalli heredes quando feudo priventur 21.
Vassalli feudum alienare non possunt invito domino 51.
Vassallus nemo potest esse duorum dominorum in solidum 52.
Vassallum ligium nequit habere qui summam non habet potestatem 52.
Villanus (Jo:) Florentinus Historicus taxatur 34.
Unctio Regum Episcoporum officium 38.
Unusquisque rei suae moderator 55.
Urbanus IV. Carolum I. Andegavensem adversus Manfridum movet, ornatque Regio titulo. 20.85.

FINIS.

Österreichische Nationalbibliothek
+Z222224302